~~NN. 6.18.~~

NB. 6.

1118. MS. in Latin, on paper: written by various hands in the 18th cent.: 13⅝ × 9¼ in., 82 leaves: in 20th-cent. vellum binding, lettered 'H. Boerhaave. Lettres inédites'.

1 (foll. 3–4). Autograph letter of Boerhaave to Meinardus van Visvliet, M.D., 10 May, 1737; with his famous seal, 'Simplex veri sigillum'.

2 (foll. 5–68). Copies, in several hands, of 94 letters of Boerhaave (dated 1714–38) to his friend and pupil, Baron Bassand, with a few figures. The last two transcripts are of letters dictated in French.

3 (foll. 69–79). Copies of 34 unpublished letters of Boerhaave, dated 1718–38 and addressed to G. B. Morgagni, G. Pontedera, P. A. Micheli, G. A. Targioni, and M. A. Tilli. The letters to Morgagni and Pontedera are copied from the originals, and the transcripts are attested by a notary of Padua, 20 May, 1745. The others are said to be copies made in Italy.

The bookseller's catal. states that the collection came from the Boerhaave family, who had the letters copied in order to make a collection of those which were not published.

The Bassand letters (item 2) were published in 1778 and, in German, 1781 (see nos. 7677–8).

Bt. (except item 1) April 6, 1906, from F. Muller & Co., Amsterdam. These letters possibly came from the same source as the books, letter, and quadrant [no. 1126] which had formed part of Boerhaave's library and were sold in 1902 as coming from a lineal descendant of Boerhaave by Burgersdijk & Niermans of Leyden.

See also for this period the letters of Lancisi to Morgagni, no. 3153.

W. O.

225 **H. Boerhaave. — 34 Lettres inédites**, adressées aux savants italiens Pontedeva, Morgagni, P. A. Micheli, J. A. Jangieni et Jilli. 1718—1738.

Les lettres adressées à Pontedeva et à Morgagni out été copiées d'après les originaux et la copie est authentiquée par un notaire, à Padoue en 1745. Les autres sont aussi des copies faites en Italie.

Collection très intéressante, provenant de la famille Boerhaave, qui sans doute a fait copier ces lettres afin de réunir les pièces qui n'étaient pas éditées.

Ci-joint: Copies anciennes de 94 lettres de Boerhaave à Bassand. 1714—1738.

Bt. April 6. 1906 Muller & Co Amsterdam fl.

Bt. April 6 1906. F. Müller & Co Amsterdam

"No 225. H Boerhaave – 34 Lettres inédites adressées aux savants italiens, Pontedeva, Morgagni, P.A. Micheli J.A. Jangieni et Jilli 1718-1738
Les lettres addressées à Pontedeva et a Morgagni out été copiées d'apres les origin~~aux~~ et la copie et authentiq~~uée~~ par un notaire à Padoue en 1745. Les autres sont aussi des copie fait en Italié
Collection très interessante provenant de la famille Boerhaave qui sans doute a fait copier ces lettres afin de reunir les pièces qui n'étaint éditées
Ci-joint. Copiés ancienne de 94 lettres de Boerhaave à Bassand 1714 – 1738"
from Catalogue

There are two original letters of B. – no 1. 2 added.
Inside the cover in which they came was the ~~letter~~ inscription "Porcelains van Rom de Hooche"
S.

These letters possibly come from the same source as the books, letter & old instrument which had formed part of Boerhaaves library & were sold as coming from a lineal descendant of B. in 1900 by Buergersdijk & Niermans of Leyden

I paid 25 fl. for this collection

W.D.

Epistola 1:a

Viro Clarissimo et Medico Celeberrimo Bassand

S. p.

Claro, nobilique, Viro,

Meinardo Tisvlitio, Medico.

Boerhaave.

Valeo. Amplissimum sumsisse medicamenta incassum
vel ideo potissimum, quod aliis meliora haud norim, ita
-re in eorundem, vel similium, usu porro persistendum,
suadeo, nisi praesenti Tibi aliter visum. fastidiosum tam
diu haec taedia pati, sed morbus in naturam vertit. &
ubi omnia, ex arte instituta, minus feliciter cedunt, ta-
-men haud temere mutandum, in praeceptis habetur.

Languenti aegrae profore censeo, si, fidelibus Tuis
consiliis obsequiosa, & monitis parens, utetur remediis,
quae cogitas adhibere: Succi illi corrigent, quod peccat,
aciditae instaurabunt lapsa. Sed animus regi si posset,
corpori ars felicius imperaret. Pugnandum minis,
promissis persuadendum. Sis utrimque fortunatus!

Haec ego multos inter labores commentatus Tibi
mitto. Vale! & rem strenue age!

Leydae 17 $\frac{10}{5}$ 37.

on quaeris
erga
honorifica
voluisti.
tunitatem
drag: ij:
bo, potuque
tu, &
rikorio,
bene
ra larnis
ndum
octum
tum
orbos
itas
ß:
libat
hoc
urrerem
soleo
itas.
anno
a novi: pudere
turae dispendio
... , quas non satis suspice-
-rem si vel verbulum supervacaneum adderem.

Unum hoc patiaris subnectum, me omni officio promptum tibi
revera esse. Vale!

Lugd: Batav: 17 $\frac{21}{7}$ 54

abdominalium

2/6

Mijn Heer,

Den Heere,

Meinardus van Vierlviet,

Doctor der medicine, & be-

-roemd practicus, te

Middelburg in

Walchere.

franco Rotterd.

Simplex sigillum veri

Epistola 1:a

Viro Clarissimo et Medico Celeberrimo Bassand

J. Boerhaave S. p.

Quod de meis bene sentire, loqui, & scribere, dedignatus non fueris, eo dudum me tibi devinctum reddidisti: Jam vero tuorum erga me meritorum pretium augere tibi visum est, postquam honorifica non modo memoriam mei testari, sed & donis me honorare voluisti. pro omnibus his gratias ago, & charam habebo omnem oportunitatem qua aliquid efficere queam, tibi gratum quod siet.

[illegible] ...l. 1. in drag: ij: ...nni cibo, potuque ...le solet.

...ore victu, & ...l quadrihorio, ...rrecta bene ...um jura carnis ...ræferendum ...a incoctum

...ploratum ...ue morbos ...margaritas ...æ unc: β: ...j: M: libat ...oribus. hoc ...t incurrerem ...etiam soleo ...& dignitas.

...elapso anno ...a novi: pudere ...turæ dispendio ...quas non satis suspice-rem si vel verbulum supervacaneum adderem.

Unum hoc patiaris subnectum, me omni officio promptum tibi revera esse. Vale!

Lugd: Batav: 17 21/7 34

abdominalium

1926. added after foliating

The edition, "Hermanni Boerhaave Epistolae ad Joannem Baptistam Bassand", Vienna 1778 (no.   ), printed from the originals in Vienna contains the same letters (which are copied here) with the addition of a final letter from Boerhaave's ~~daughter~~ wife announcing his death. In the edition the letters are numbered strictly in accordance with their date which is not always the case in this MS.:-

MS.	13	14	16	17	32	33	37	38	39	41	42
Pr.Ed.	14	13	17	16	33	32	39	37	38	42	41

MS.	54	55	57	58	60	61	70	71
Pr.Ed.	55	54	58	57	61	60	71	70

'Epistola 13' here is the same letter as that ~~properly~~ numbered '14' in the printed ed., & so on. W. W. F.

Mijn Heer,

Den Heere, 2/6

Meinardus van Vl[illegible]vliet,

Docter der medicine, & be-

[illegible], te

[illegible]Middelburg in

walchere.

Epistola 1:a

Viro Clarissimo et Medico Celeberrimo Bassand

J. Boerhaave S. p.

Quod de meis bene sentire, loqui, & scribere, dedignatus non fueris, eo dudum me tibi devinctum reddidisti: Jam vero tuorum erga me meritorum pretium augere tibi visum est, postquam honorificam non modo memoriam mei testari, sed & donis me honorare voluisti. pro omnibus his gratias ago, & charam habebo omnem oportunitatem, qua aliquid efficere queam, tibi gratum quod siet.

1: infanti recens nato soleo dare illico mellis drach. 1. in drag: ij: vini albi, & prohibere dein spatio VI: horarum ab omni cibo, potuque ut purgetur ventriculus à materie lenta, quæ adesse solet.

2: Jubeo ut nutrix primis XX diebus utatur tenuiore victu, & potu dilutiore, nec ubera præbeat nisi trihorio, vel quadrihorio, post cibum potumque captum. quo omnis cruditas correcta bene sit. Si vero acidi excedentis manifestissima signa, tum jura carnis dilutiora præbenda curo: Si vero absunt hæc, Lac præferendum aliis censeo. inveni quippe per eventum, panem aqua incoctum plus adhuc, quam Lac acescere.

3: Cæterum summum remedium, quod unquam exploratum habui, & optimum deprehendi ad cavendos curandosque morbos pueris proprios hoc est. ℞: Saponis Veneti dr: ij: margaritar: pulv: drag: 1. Lapid. Cancror. drag ß: Syrupi altheæ unc: ß: aq: Stillatit: menthæ, fœniculi, Cortic: citri ā unc: ij: M: bibat unciæ $\frac{1}{4}$, ter spatio nycthemeri divisis æqualiter temporibus. hoc medicamentum tam miro successu se commendat, ut incurrerem jactantiæ crimen si, ut res habet eloquerer. ideo etiam soleo illud tegere, ne cogniti abusus contingat, vel vilescat dignitas. duo hæc quippe medicos summa ope cavere decet.

Et quidem si paucis hisce jungere velis ea, quæ elapso anno coram dixi in collegio, habebis ea, quæ ego in his vera novi: puderet enim me, si sapienti fastidium crearem inani scripturæ dispendio & agnovi eas in te Sapientiæ medicæ dotes, quas non satis suspicerem si vel verbulum supervacaneum adderem.

Unum hoc patiaris subnectum, me omni officio promptum tibi revera esse. Vale!

Lugd: Batav: 17 $\frac{21}{7}$ 34

abdominalium

Epistola 2:da

Viro eruditissimo, atque Clarissimo, Bassand

J. Boerhave. S.

Quod gratissimis honorare me literis voluisti, gaudeo: nec dif-fiteor suave admodum mihi fuisse testimonium amicitiæ repetitum in ultima hac epistola. quamvis enim satis norim, mea merita erga te magni non esse momenti, neque præter summum benefaciendi conatum aliquid habere eximii, tamen gravissimi viri amor tanto oblectamento mihi est, ut nollem clarius tibi notam tenuitatem meorum benefactorum, ne honorata carerem benevolentia.

Magno porro cum gaudio intelligo Principem Sabaudam filio nato matrem feliciter factam, celsissimæ familiæ cedant omnia ex animi voto! dum secura tuæ in medicina sapientiæ vitam committit & salutem!

Utinam vero faustis æque præsagiis studere posses sanandæ puellæ nobili, cujus accurate enarratam mihi misisti histori-am. est quidem casus ille ex iis, qui fastidiosi plus satis laboris medico, parum tamen læti sufficiant successus. & certe tanto mihi infelicior exitus prævidetur, quanto magis considero ortum ex nativa laxitate, & biennio jam seniorem morbum. Scis enim ipse expertus vix aliquid spei in adultis. postquam jam eo usque dilatatus sinus ut tam profunde dimittat intestina.

Cæterum iis, quæ adhibes, addendum, melius quod sit, nihil habere me confiteor. tentabam olim non absque consilio diu librato, & successu hanc viam.

Mittatur cruor ad uncias VIIJ. ex brachio

Purgetur tribus sequentibus diebus successivis cum Rheo & myrobalanis. ℞. Rhei ℥i. myrobal. citrin: sine nucleis Unc. i. infusa cum aq: spatio noctis mane unc. iij: exhibe.

tum iterum secta vena reddat uncias VI: sanguinis. & rursu repetantur purgatione ut prius.

Denique tertia & ultima vice detrahantur sanguinis unc. VI et postremo purgatio ter repetatur tribus diebus.

Toto hoc decursu supina locum alcohole fotum pressu bene defendat ab exitu & dilatatione. utatur carne assa cum pane

biscocto

biscocto & vino rubro austero, a reliquis abstinens.

Ubi his humores evacuati, partesque constrictæ, adhuc per septimanas IV vel V: situ, pressu, fotu, locum affectum juvet. victum eundem con-tinuet. & vino hoc medicato utatur quod habet Cortic: Radic: Cappar. granator: Tamarisc: peruvian: ℞ unc: i: folior: querc: unc: ij: flor: granator: unc: i: cum vini ℔: iij: coque S. A. in phiala altissima vitrea methodo nostra spatio XXIV: horarum. sumat quater quotidie divisis rite temporibus unc: iß.

hæc summa curatio, qua irrita nil juvet neque chirurgicam operationem facile suaserim. scis ejus incommoda & interim multæ mulieres huic malo obnoxiæ, conjugii labores ferunt.

Vale & si quid curatum velis per me, audax impera, nam lætus tibi invigilabo.

Lugd: Batav: 17 $\frac{2}{15}$ 34

Epistola 3a

Viro Celeberrimo Bassand

H. Boerhaave S. D.

Gratissimæ mihi fuerunt litteræ quas XVIII: februarii Vienna ad me dedisti: namque gaudebam ex iis cognoscere tuam, quæ cara mihi habetur, valetudinem, simulque intelligere artis nostræ quam præstas excellentiam. quare credas velim, semper me & honori deputare & beneficio, quoties amicis compellationibus me deco-rare placuerit.

Cernis sponte nihil opis ferri posse contra prolapsum uteri; id unum auxilii datur, ut sequi velit quod rite proposuisti: cæterum pertinax hoc malum, maxime ubi juveni acciderit, ut pote ortum ex ingenti partium laxamento. neque graviditati oberit ipsa ligamenti pressio: nam os matricis semper sursum intra corpus attollitur a conceptu, unde ex eo tempore minor erit metus prolapsus, idcirco crediderim mala, quæ metuere videris, non exoritura esse gravidæ, imo vero ubi contrahetur, & in globum expandetur, uterus, spero ne pessario quoque opus fore: postquam deinde enixa erit fœtum tum certe puerperæ necesse erit summa quiete, ut laxatis maxime genitalibus uterus haud excidat.

De arte qua tractasti Principem, sincere dixero, nec sapi-entius agi, nec felicius evenire, potuisse. prorsus ut nihil

omnino

omnino possim scribere, quod aliter ex lege artis actum oportuerat, sive cautelam spectem in seligenda nutrice, sive in ea regenda, sive ad curam infantis animum adverterim. Neque miror Principem foeminam commendasse aliena, & insultasse consiliis: nam semper facile est acquiescere consuetudini, durum novis fidere; ideo magis tibi de triumpho gratulor, quia felici successu comprobasti methodum. Censeo quoque pergendum in solo usu lactis nutricis, donec dentes anteriores tam in superiore quam in inferiore maxilla prodierint: quando panis fermentatus triticeus cum lacte calido potius contritus, quam diu concoctus exhiberi potest tuto, aut & idem juri carnis infusus. numquam vidi male cedere infanti, si nutricis bene sanæ lacte utitur, licet menstrua patiatur; sæpe autem observavi mutationem nutricis plurimum attulisse damni: quare consultissime factum à te puto. neque etiam crediderim crustulas & ulcuscula hinc orta, sed ex virtute virium hac via, ut et per furunculos se liberantium a lentiore parte Lymphæ, quod semper optime cedit, nec remedia, ~~quod semper optime cedit, nec remedia~~ arcentia requirit. etenim nec nocet, & sponte superabitur, leve hoc quidem mali est. optandum foret modo, ut alacriori exercitio suum excitaret corpus nutrix, delassationem quidem fugiens, sed et ignaviam evitans, quæ hebetat. quare putem eam aliquot septimanis ante suscipiendum iter sensim debere assuescere ferendæ vectioni, quod commode fiet si quotidie una cum puero Principe carpento (carosse) vehitur, per gradus paulatim hoc genus exercitii augendo: aliter insueta omnino suspecta; sed hac cautela adhibita proderit utrique & iter & aer: toto vero tempore, quod itineri dabitur, oportet, ut semper antequam Rhedam ingrediatur nutrix paulo plus solito bibat, & ut infantulo ante hunc motum conducet semper aliquantulum prius potasse de Lacte nutricis. Vale & optata me porro amicitia honorare pergito,

Lugd: Batad: 17 $\frac{12}{3}$ 35

Epistola 4ª

Viro Sapienti & Claro Bassand medico insigni

J. Boerhaave S. P.

Quas 28 Julii ex Kostelets ad me dedisti, eas accepi demum 14 Augusti. gratæ fuerunt: quia a te venerant, & quia referebant Principem puerum prospere valere, qui ut porro artis tuæ beneficio felix adolescat opto!

Historiam

Historiam mali, cum quo conflictatur Princeps Domina, cum cura expendi, ut & illa omnia quæ illi illustrandæ sollicite addidisti: unde persuasum habeo, mihi eo usque constitisse de his rebus, ut de iis utcumque Judicium ferre ausim.
Tempore graviditatis ita curavisti omnia ut nihil emendatius effici potuisse libervime profitear!
Utinam vero puerpera iisdem gavisa fuisset consiliis potius, quam adversis omnino ipsius saluti auxiliis usa! sane melius ipsi consultum fuisset, neque malis foret obnoxia, quibus jam tenetur: recens enixis sola quies remedio, quo citior eo salubrior, nihil ipsis vigiliis calamitosius ~~ipsi~~ his acidit; ut evitentur hæ illa autem ut concilietur, tota ars occupatur: somnum vero irritamentis arcere, dementia mihi videtur, eaque perniciosissima ut damnanda pariter periculosa exhalatio partium volatilium. quum Hipocrates ipse talia damnet ut omnino noxia Capiti, cujus tamen morbi omnium maxime puerperis metuendi ut pote fatale. aphorism: XXIII: Sect. V. Denique fere exitiale putem ambustæ Camphoræ fuliginem acerrimam ingerrere miseris his, quibus à nulla re gravius hocce tempore periculum imminet, quam à nimia uteri læsi hæmorrhagia, cui excitandæ nihil est hoc remedio valentius. prorsus ut mirer unde obtinere potuerit ea opinio in aulis! sane si ausu maligno obesse mulieribus quis ope summa contenderet, vix posset pejus remedium omnibus hisce excogitare. & crediderim, nisi plane contrariam insistisses viam, pessime se habituram fuisse Illustrissimam Dominam; quam servasti optima profecto medendi ratione. quod autem ægre tulerint limoniorum succo dilutum potum, ea demum mera inscitia est. quid magis resistit inflammationi? ego sane hordæi, vel avenæ dilutius decoctum limoniorum succo infuso gratum large propino puerperis quotidie, si calor, sitis, morbus, temperies exigunt, & quidem faustissimo ubique eventu. ne autem putes forte me hoc ex assensu scribere verius quam ex observatis, inspice, quæso, schedulam his insertam, ubi cernes quænam censeat ille, qui omnium mortalium optime de his præcipere potest, mille experimentorum successu instructus Mauricæus, cui nemo hodie par orbi medico innotuit.
Sed hæc sors semper eorum, qui servilis adulationis pertæsi audent præconceptas opiniones deserere, & candido animo atque generoso instituto studere magis saluti humani generis, quam ineptissimis artibus captandæ auræ, & lucri inde aucupio. tu his ne cedas, sed contra ito audentior! virtus sola sibi pretium, nec curandum quid ignari, sed quid dictet sapientia.

Præsens

abdominalium

Præsens jam Principis Dominæ malum puto referendum ad affectum uterinum, cui superando aeris usus, motus vectionis in Rheda, deambulatio maxime conducent. vesperi lene pedum balneum quadrante horæ continuatum ex aqua dulci commendandum. Tum levis usus pilularum, quæ fiunt (ex gummi ammoniaci, opoponacis, sagapeni, ana drach: i. balsami peruviani alb: gran: XVI. Castorei gran: IX.) singulæ granorum iij. sumendæ mane, una hora ante jentaculum, iterum una hora ante prandium, denique rursum unica ante coenam hora. quibus brevi sanationem spondere ausim. Vale. & si quid siet, quod mea tibi ars queat efficere, Rogo, indica, efficiam lubens omnia ad quæ valere potero.

Lugd: Batav: 17 55/9 55

* Mauriceau Livre. 3. Chapitre 1.
Aussitôt que la femme est acconchée, et delivrée de son arrière faix, il faut prendre garde que son detachement ne soit suivi d'une trop grande perte de sang. pour cela on la mettra en une situation commode pour prendre le repos, qui lui est bien necessaire afin de la retablir des peines & des douleurs qu'elle a endurée. on la laissera reposer & dormir, si elle peut, sans lui faire aucun bruit, ayant bien clos les rideaux de son lit, & fermé les portes & les fenêtres de sa chambre, afin que ne voyant aucune clarté elle s'assoupisse plus aisement.

Liv: 3. Chap: 3. vers la fin, l'acconchée se doit tenir en grand repos, ne prendre aucun soin, parler le moins qu'elle pourra. on ne lui raportera aucune mauvaise nouvelle, car au sujet de ces choses la mort est arrivée à plusieurs.

Liv: 2. Chap: 9) au milieu on preferera de donner à la femme des bouillons en consomés faits avec des chairs de veau, et de volaile, dans les quels on mettra le jus d'une Orange, elle pourra aussi boire un peu de limonade, ou de l'orangeade, ou on melera dans sa ptisane ordinaire un peu de syrop de limon.

Epistola 5ta

Eruditissimo Clarissimoque Medico D. Bassand

H. Boerhaave S. P.

Gaudebam sane quando accepi tuas, quas X Septemb: ad me dedisti: tum quia bene te habere nunciabant, pariterque quod ultimas meas tibi non displicuisse discebam. Ego certe ex animi sententia quidem conscriptas munire tamen volui auctoritate eorum, qui nullo partium studio ducti, sed rerum peritissimi, comprobant omnia quæ tu sapienter, damnant vero quæ ineptissime alii consuluerant. Utinam prudens consilium deinceps damnosas vincat expellatque, nugas! quoties autem meam artem aliquid efficere posse putas, quod salutarem mortalium medelam spectat, aut tua forte commoda promovere queat, utere me quam liberrime quum enim animi tui virtutem amem atque candorem, quod habebo summum lubens persolvam tibi.

Vidi te velle à me descriptionem ortus atque vitæ, hominis,

denique

denique et mortis illius, quæ fatali necessitate sequitur ex ipsa ejus vita. Si mihi fas fuisset à numerosis negotiis, quibus obtundor, paucissimas horas subducere, rediret jam ad te inchoamentum desiderati operis. sed vix mihimet vivo, cui raro dies transigitur, qua semihora prandio impendere datur. scis vero qua animi cura opus sit ad enarrationem eorum, quæ in minutissimis anatomicorum, atque dioptricorum inventis hærent maxime ubi requiritur stylus, qui perspicuus appareat Principi-bus viris harum plerumque rerum minus gnaris, quæ pulchre perspectæ esse debent, antequam altiora intelligi queant

Hæc sunt, Præclare Vir, quæ si æquo animo perpendere non dedignaris, veniam impetratura spero à munere, quod jure amicitiæ mandare certe poteras. Oro igitur ne ægre feras, si primis hisce mensibus, quibus quinque horas quotidie academiæ uni colloco, obsequi voto nequeam. atque credas nullum me tempus remissurum, quod sacrare potero absolvendo officio quod tibi debere me profiteor: quum prima occasione nata usurus sim ad meditationem laboris impositi.

In fine litterarum quibus me devinxisti, reperio aliquid, quod me paululum perturbavit: neque enim dissimulare illud coram candor tuus ipse patitur. Cur enim argentum mihi mittere de tuo velles? rationem nullam video. ita habeto, mi amice, me nolle vel minimum eo nomine accipere, quod grato honore suavis commercii tecum gaudeam: foretque acerbum mihi, si scirem amicitiam meam alicui hominum mercede gravem esse. quare jure meo flagito, ne quod Viennam reverso, propositum tibi dixisti, effectum reddas. contra vero si benevole cogitas me quid-quam commeruisse, credito non aliud à me exspectari, neque admitti posse præmium, quam ut opera mea, quantulacunque ea demum sit, uti porro pergas. Vale.

Lugd. ad Rhenum 17 3/30 35

Epistola 6ª

Clarissimo Medico Domino Bassand

J. Boerhaave S. P.

Accepi litteras quas decimo decembris anni elapsi ad me dedis-ti, una cum incluso Cambio sexaginta & sex florenorum. pro prioribus, quas gratissimas animo meo fuisse nostra tibi amicitia persuadebit, lætitiam meam sincerus testor gratiasque ago. utinam vero ultimis meis impetrare fas mihi fuisset id, quod ardentissimis à te votis petiveram? ut mihi scilicet daretur tecum uti jure amicitiæ liberæ ab omni suspicione mercenariæ

avaritiæ

avaritiæ, qua ego quidem animum gero liberum, tu autem eo frui me prohibes, quum interim nolueris hac me beneficentia tibi penitus devinctum, generosæ liberalitatis tuæ munera accipio ea lege ut mihi concedas vicissim tuis obtemperare mandatis, dum in fatis erit, nullo vero deinde dono meæ amicitiæ quidem[x] interturbatam velis stipulor. ego interim quæsitam de industria occasionem adhibebo, ut satisfaciam iis, quæ à facultate mea nuperrime petivisti: Sum enim tibi magis quam vellem obstrictus. Vale.

x quietem

Lugd. 17 6/5 56

Epistola 7ma

Viro Clarissimo Bassand

I. Boerhaeve S. P.

Lætatus sum, dum perspexi in literis valetudinem tibi incolumem, atque etiam sapientiam artis tuæ perpetuo consuli in salutem Principum; quibus gratulor quod rite norint judicare de summis cultissimi tui ingenii dotibus, eisdemque sanitatis tutelæ applicare? quibus ego porro faustissimos quosque eventus apprecor.

Morbum Principis Eugenii expendi; multum enim veneror celsissimas ejus virtutes orbi celebratas, atque conditionem corporis ejus utcunque novi, quum olim horæ circiter spatio in horto academico attente eum contemplabar, cumque Heroe colloquebar.

Tumor crurum accidit fere iis, qui æstivo tempore multum æquitando crassiora in partes pendulas in ocreis, quassando, deponunt: etenim nata dispositio hyeme inflat nocent his balnea: quia magis debilitant, licet acria sint ex sale alcalico. solæ frictiones factæ cum pannis ex lana, siccis, calidis, supra fumum accensi succini detentis, prosunt, ut prægnantes hoc vapore fricando roborent, id vesperi et mane fit commodissime.

Trachea, Bronchia, vesiculæ pulmonis robusti, sicci, rigidi & validis equitationibus exercitatissimi, ubi frigore contrahuntur plus, incipiunt carere unctuoso linimento membranæ Schneideri, unde nervi asperitatem nudi fere patientes acriter irritantur in tussim; hæc non ducit originem ex colluvie pituitæ, sed ex nuditate tensi per frigora nervi. Remedia sola, oleosa, blanda hic juvant, præstatque cæteris oleum amygdalarum dulcium recens sæpe lambendo haustum. vesperi vero syrupus Diacodii descriptionis Pharmacopeæ Amstelædamensis ad sesqui unciam

unciam haustus. Cæterum vix agendum quid contra hæc mala putem æstivo, sed tentanda hæc circa autumnum. omnino consultum crediderim, ne corpus Celsissimi Principis, quod optime sanum vidi, turbetur usu remediorum: maxime quum ambo illi morbi topici sint, neque à cacochymia, nec à mala conformatione pendeant, sed tantum à vitæ genere.

Videris mihi intellexisse causam vitii, quo laborat auditus Principis foeminæ: quo enim curatius perpendo omnes, quas adeo sollicite describis, circumstantias, eo magis cogito, nihil deesse, quam quod vel musculi, malleo & stapedi movendo servientes non valeant eousque tendi & contrahi, ut membranulam tympani et fenestræ ovalis tendant in concentum cum chordis acutum sonantibus, aut cum voce similes in aere resonante tremores excitante; vel forte in fibris brevissimis laminæ spirali in cochlea ad superiora affixis, erit nimia laxitas, quam ut tremere queant in vibrationes harmonicas cum sonis acutissimis. interim vergit animus, ut propendeam in priorem causam. quia pars illa & frequentius laborare solet, & injuriis externorum crebrius exponi si observata hanc confirmant sententiam, faciet humidior aer plus impedimenti. Tumque videtur post tot irrita medicamentorum tentamina, nihil adhiberi posse, quod plus promittat levaminis, quam si qualibet vespera ituræ cubitum meatus auditorius repleatur Lana hircina circa scrotum collecta, quæ aliquantulo temporis suspensa fuit, retenta supra fumum succensi olibani, & Mastiches, sicque fumans indita. hoc unum tutum, simulque efficax, ad malum, quod suspicor, habetur; ut sæpius expertus fui. tamen crediderim morbum hujus organi adeo inveteratum, tentatumque, penitus immedicabilem esse; interim non nocebit tentare. ipsa cura actuosa solari ægras solet, & sæpe specie levaminis blandiri.

Intricatissimus sane est alter morbus, quem tam nativis mihi coloribus dedisti depictum, ut coram adspicere videar. Difficultatem Diagnoseos mihi facit diuturnitas mali, ejus mutatio varia atque præsens tot Symptomatum concursus. Legi ergo, iterumque casum relegi, ut tandem sequentia cum aliqua veri specie proferre mihi fas sit.

I. Nativa temperies olim videtur fuisse tenera in solidis, mobilissima in nervis, facile replenda in vasis, denique obnoxia inprimis illi malo quod histericum in foeminis, in viris hypochondriacum, dicitur.

II. Rubor faciei, calorque, increscentes à repleto stomacho, videntur orti tunc temporis à facili compressione arteriarum

abdominalium

abdominalium facta à tumore distenti ventriculi unde et sanguini
Aortæ major renixus, palpitatio cordis, anxietas suffocans: omnia
enim hæc mala assiduo observantur contingere in fæmellis hujus
modi à causis adeo levibus; licet medici sæpe numero falso
querantur magnas hisce malis subesse rationes: quum sola hæc
arteriarum tenuium debilitas, nervorumque facillime in his
irritabilium exorbitantes motus, iis generandis sufficiant, atque
rursum quam levissime solvi patiantur insultus qui atrocissimi
apparebant.

x qui

III. Ut vero ex hac præ ceteris Diathesi sanguinis per viscera abdominalia
circuitus impeditus eadem obstruere, sensimque in vasa horum
crassiores fæces infarcire, solet: ita mihi videtur, vel eo tempo-
-re, accessisse jam hypochondriacum malum.

IV. Quæ interim expansione uteri gravidi increvisse nimis sane
manifestum, quam ut amplificando probem: quum mittendi
sanguinis necessitas, atque malorum pro expansione abdominis
crescente incrementum satis id superque confirment. ubi
ergo notandum censeo, Splenem, Panchreas, omentum, mesen-
-terium, intestina, & hepar, ea occasione incepisse quam
maxime aggestu crassiorum obsideri magis, magisque: atque
præ cæteris quidem cava illa magna intestini coli circa hepar
& splenem aggesta fæce extensa fuisse quod gravidis accidere
creberrime tu profecto pulchre novisti.

V. Ex iisdem pendere tussim credo. tenella enim pulmonis
fabrica sanguine acri, subtilique titillata nervulos irritans,
eam creare valet. hinc velociori sanguinis motu per pulmo-
-nes, aut majore ejus pressione ex impedito decursu per
inferiora, exacerbatur, atque eam quidem tusciculæ primo
natæ originem agnosco. ejus vero effectu Diaphragma, jam
grave appensis visceribus obstructis (3. 4) succussibus validissi-
-mis exercitatum, cætera quæ circa hypochondria notas,
mala potuit producere: quin & tandem instante menstrua
plethora arteriolas dilacerare, hæmoptoen excitare, phthi-
-sicam Diathesim adferre.

VI. Majori opus esset perspicacia ad perspiciendum pulsa-
tionis in sinistra parte inferiori thoracis & superiori hypo-
-chondrii, indolem atque ortum. video, aneurisma censere
medicis. dubito an recte? locus enim ipse hic, absque tali
labe, pulsationi obnoxius quam maxime. id Hippocrates, Galenus
alii, observando firmarunt. interim anceps super hac re hæreo
quum utrique causæ accepta ferri queat hæc pulsatio. attamen
sagax industria periti medici videtur distinguere posse indicio

Lætus

tactus an sit aneurisma: id scilicet pressum cedit, anxietatem cordi parit per regurgitantem sanguinem lato & expanso pulsu se manifestat, tumorem loco creat, atque conciliat ponderis penduli sensum; quæ quidem omnia absunt in pulsatione hypochondriaca vel splenica, quam ego, fateor, magis suspicor.

VII. Ex hisce quidem summa cura pensiculate excussis putem, morbi præsentis nomen proprium esse, affectum hystericum cum nimia mobilitate nervosi generis, obstructis visceribus chylopoeis, & incipiente phthoë.

VIII. Unde metuo marasmum lethalem cum præcessuro concursu symptomatum, ex tribus conspirantibus morbis oriundorum difficillimam certe curationem prævideo, atque tædiosam.

IX. Primarius mihi suscepturo curam scopus foret. 1 vasa pedum, crurum, femorum, ita mutare, ut multum sanguinis in se capere possent, superiora sic levarent. id facit expositio harum partium balneo vaporis aquosi, omni mane & vesperi, facta lege artis per semihoram. Dein levis frictio spatio semihoræ exercitata. Balneum immersionis nocet: quia pressu suo sursum pellit. 2. Abdomen reserare obstructum. usus Galbani ammoniaci, opopanacis, forma pilularum, quater quotidie, ad grana V. singulis vicibus, datarum, prodest, nec hic nocet. Dein frictio mane, vacuo ventriculo, post coctionem, toti Epigastrio & hypochondriis cum oleo de Palma guineensi, quotidiana. 3. sanguinem mitigare. quo lac, calidum ab animali haustum facit. 4. Roborare summa cum prudentia. Infusio Peruviani corticis ad scrupulum in aqua pauca mellita aliis præstat, si diu capitur quotidie, post frictionem abdominis. 5 Cavere tussim. id vero facerem prudenti usu opii. aliter tussis tussim creat. abstinendum ab eo simul ac induciæ à tussi.

Pilularum usus Principi gravidæ, non obstabit, capiat binas quotidie in eo statu.

Vale Vir præstantissime, & quod curatum hic velis mihi mandato. Lugd: Batav: $17\frac{21}{3}36$

Epistola 8.a

Viro Clarissimo Bassand Hboerhaave S. P.

Miratus dudum fueram quidnam causæ esset, quod tam diu nihil quidquam a te literarum accepissem; atque sæpenumero, sinistri quid ne accidisset, metuebam. utinam vero intra metum substitisset tantum. neque prima gratissimæ epistolæ munere

intelligerem

intelligerem ea quibus cum conflictatus es, mala! unum id solamen adfert, quod arte vales amoliri, quæ casus infortunii attulit. gaudeo sapien-tiam tuam tam feliciter servasse Celsissimum Principem, ut magis magisque perspiciat tua merita, eademque dignis decorare pergat præmiis! gratulor tibi ipsi incolumi à malo morbo! spero brevi superatum iri eas, quæ forte superstites infestant debilitatum, mali reliquias: si quid perspicere valeo, puto hacce rerum facie oportunum tibi fore & salutare, si omni mane antequam lecto exires, totum corpus pannis laneis, calidis, siccis, supra accensæ mastiches & olibani fumis rite detentis perfricandum curaveris: dein horæ spatio jejuno ventriculo, deambules ad excitationem nativi caloris: tum bibas unciam unam ex vino medicato, quod fit ex libris IV: vini generosissimi infusis tridui spatio calide cum unciis iij: Salviæ, uncia una Radic: Angelicæ, unc: ij: Corticis Peruviani: idem assumere si velis hora quinta pomeridiana post exercitium moderatum unius alteriusve horæ, brevi vires instau-ratas habiturum confido. certe ardentibus votis apprecor!

E quidem lætor impense de valetudine Principis pueri! probo consilium de continuando nutricis lacte usque in adventum Maji sequentis. tunc optimum erit, si jam inceperis pro prandio exhibere quidquid ex hordeo, oryza, milio, avena, paratur cum aqua, lacte, vel jure recentis carnis vitulinæ, ovillæ, Bubulæ, gallinaceæ, et ~~[illegible]~~ similibus. maxime observavi semper prodesse panem biscoctum recentissimum, tenerumque, qualem hic Lugdun: te observasse crediderim. Vesperi offerri poterit jus dilutum carnium, cum paucillo panis biscocti, macerati, aut aliquid quod ex lacte fit, non nimis crassum. quum inte-rim aliquid dare oporteat puerulis medio tempore, amygdalæ dulces prosunt, aut & pistachiæ, tum & illa quæ ex pane biscocto fiunt Lagana, vel scriblitæ. atque hæc quidem optima habeo, ut utatur mense Januario & Februario. deinde autem Martio atque Aprili in prandio offerre fas erit omnia quæ modo commendavi, sed pro mensa secunda offerre carnes recentes assas, minutim incisas. pani biscocto intermisso sicco, ex vitulis, hædis, agnis, ovibus, columbis, gallinis, gallis indis, phasianis, & similibus, quæ cum sale pauco & pane biscocto semper dandæ, ut ita cogatur manducare ob siccitatem durius-culi biscocti, nec deglutire queat offas integras, unde tot sæpe mala. Cœna tum rursum esto ut ante. ubi hoc victu utitur sæpe dandum aliquid de cerevisia, aut illo potu quo deinde usu-rus erit, parva copia, ut assuescat sensim. sic agendum etiam

mense

mense Majo, nisi ut tunc in initio noctu incipiat raro uti lacte nutricis, nec nisi urgente necessitate Clamoris: interdiu arcendus ab ipsa. ut autem lac nutricis interim non corrumpatur, quærendus alius infans, qui tam diu de die sugat. deinde victus idem conducit, qui ultimis hisce mensibus præscriptus erat; lento gradu procedendo ad pleniorem diætam. Cerevisia clara de fæcatione, nec tamen adhuc acris tempore, optima erit.

Tristissimum familiæ Cesareæ fatum acerbe doleo! suppleat jacturam Deus in quietem Europæ! cernis autem quam perfunctoriæ, ne acrius dixerim agantur res Principum! et longe felicius tractare plerumque, quorum conditio extra magna præmia locatur & infra invidiam. utinam exemplum cepissent ex te, quid prodesset: sed ita semper aulica se habebunt negotia. tu ne cede malis, sed contra audentior ito, qua tua te fortuna vocat! posses enim auctoritate Principis Eugenii uti ad cavenda tam infausta orbi damna, melioraque ipse consilia suppeditando prodesse.

Principi Matri Exhibe, quæso omni mane jejuno ventriculo, grana quinque lectissimi corticis peruviani ex paucillo vini hungaric:; vesperi hora quinta guttas XX ex mistura tincturæ castorei et succini ℥. idque continua mensis spatio. forte sedabitur morbus: nam est fere summum in eo remedium quod experiundo didici.

Si Mastiche, olibanum, succinum, ℥ ad Drag IV: viginti quatuor horis digeruntur in phiala valde alta, vitrea; hermetica, cum duodecuplo omnium alcoholis vini arte chemica parati, tum habetur liquor amicissimus membranis nervis, tendinibus; qui exceptus parce lana, atque auri immissus, non nimis profunde, halitu benigno fibras roborat. tuto poterit periculum fieri, an effectum Principi optatum præstare queat. Voveo!

Nihil ego edidi hactenus in publicum, præter ea quæ vidisti, et nimis laudas. neque sane ea ipsa emittendi audacia me tentasset unquam, nisi muneris publici coegisset ratio. Dicam sincerus, sæpe tamen me poenituisse temeritatis? viri boni est, animo circumspectissime uti ad omnia, antea quam audeat vel minimum quid pro explorato extundere. biennium est, a quo magistratu abivi Rectoratus academici lex tum exegit sermonem publicum, egi de certo in Physicis adquirendo, nec ausus fui exemplum tibi mittere per tabellarium: quia tanta mercede rem nullius non placituram verebar. Vale! Lugd. Batad: 17 $\frac{29}{12}$ 36

capiti

Epistola 9a

Viro Clarissimo & Medico Celeberrimo, Baffand

HBoerhaave S. P.

Gaudeo Principem Eugenium te saluti præposuisse curandæ exercitus! ita quippe sapienti Consilio proderis hominibus, quæ mihi summa videtur felicitas homini, quæ ex societate civili spe-rari potest. gratulor autem quam maxime tibi, quod Heroum Princeps, & sapientissimus Principum censuerit artem tuam exercitui Imperatorio servando deberi. principibus placuisse viris non est laus infima, Eugenio non displicere excelsa gloria. faxit DEUS ut optime valeas, prosis bonis, miserias lenire possis afflictis: si quid his votis adjicere posset ars mea, gauderem impensissime! ut autem desiderio tuo paream, studebo sedulo sed opus est intento ad tam seria negotia animo. ægre ergo non feres, si, biduo deliberans, sequenti demum tabellario meditatus ad te scribam, quanam ratione Commodissime putem inquiri posse in cognitionem abditæ causæ, quæ celeri sæpe contagio integros afflat exercitus, idque eo quidem proposito, ut caveri queat perniciosa stragis epidemicæ calamitas. & licet despe-rem de facultate mea, ad nobile opus, ea, qua par est, accuratio-ne absolvendum; tamen non erubescam ea tibi proponere, quæ forte attentionem excitabunt observantis, ut emendari queant & perfici. accepi literas Cambii; pecuniam iis mihi adscriptam sollicite inpendam coemendis, quæ optima puta-bo medicamentis; eadem ocyssime devehenda ad te curabo, & addam rationes expensi et reliqui, ut possis porro jubere quid factum velis de residuo. si forte in hungaria versans naturalia fossilia, metallica, cinnabarina, aut similia quædam, levi opera reperire, colligere, & data quadam opportunitate, mittere mihi velis, obstrictum habebis: quia horum nativorum contemplatio Chemiam meam sæpe juvat Vale! Lugd: Batav: 17 22/4 17

Epistola 10ma

Viro Doctissimo atque Claro Baffand

HBoerhaeve S. P.

In cognoscendis curandisque morbis Castrensibus, aut endemicis, puta acri diligentia opus, tum quia difficulter detegitur horum natura, tum etiam, quia semel ea revelata, omnium est eadem tractatio. invenitur horum causa in accurata excussione gestorum ingestorum

mense

Durchgestrichen musste ...

ingestorum, retentorum & excretorum, & applicatorum. maxime autem oportet contemplari aerem. aquam, loci indolem, quæ cuncta adeo absolute tractata puto in libello meo de inveniendis caussis & ingenio morborum, ut sane nihil superaddere queam, nisi labore supervacaneo abuti vellem. ideo magis accedo ad dysenteriam. quænam hujus sit in hungaria causa præsens vellem indagare hoc ordine. 1. an in potu communi lateret sali-nus, vitriolicus, arsenicalis, antimonialis, putridus, vel similis aliquis stimulus. plerumque reperitur. frustra tum quæritur remedium oportet vitare, vel emendare, si neutrum datur certa strages. 2.) forte in pane tanta insectorum copia, ut pendeat hinc causa morbi. aut in fracedine semi corrupti, & suffocati frumenti. id nostris quoque contigisse novi. 3.) num & usus crudorum fructuum, cum aquæ potu eo fecerit? si mali origo deprehenditur in hisce hærere, evidens apparet, quid sit agendum, ut sanetur morbus; tumque tota res nihil habet difficultatis: quum communi methodo tractari postulet. si autem in iis reperire nequit, sed latet penitus ut sæpe fieri notum est: tum mihi videntur duo superesse, quorum consideratio multum lucis methodo inveniendæ affundit st: spectandus primo stimulus excretionem pariens; deinde vero virium ingens jactura, non adeo pendens à copia materiæ ejectæ quam à vi quadam agente in spiritus ipsos venenata: & sane a postrema hac causa mori visi sunt fere omnes, quos ego mortem obire vidi ex dysenteria. Cognoscitur autem maligna hæc indoles ex diliquio virium subitaneo, doloris atrocitate ingenti tenesmo, pulsu tenui et admodum vacillante, pallore faciei, nausea, fastidio ab omni cibo, siti inexplebili. simul ac talia apparent, in initio statim hæc methodus, semper meis respondit votis. 1°. accipio Radicis ypecacuanhæ in pulverem contusæ Drach: ß. illi affunde vini uncias ij. stent in infusione fervida, absque ebullitione, spatio ij. horarum, tum liquorem per pannum trajectum uno bibat haustu, expectet primum vomitum, eo peracto bibat uncias VIII mulsæ ubi evomuit, bibat iterum tantumdem, hoc agat post singulos vomitus, donec ultima mulsa retineatur; tum quiescat; fere semper simul deponet alvum. postquam quievit post ultimum vomitum per horam, sumat hoc cardiacum. accipe frustum panis tostum utrinque, id utrinque bene frica cum nucis myristicæ fissæ superficie, tum illi superaffunde vini frigidi uncias IV. ; pauxillum cinnamomi contusi & sacha-ri. vesperi exhibe hujus opii, quod mitto & præstantissimum est, granum unum cum semisse in pilulam redactum, omnis præparatio illud debilitat. mane rursum vomat, tostum edat, opium

Durchgeschnitten muscatennuß

opium vesperi sumat, ut primo die idem fiat tertio die. dein quarto, quinto, sexto, septimo octavo nono, sumat mane & vesperi granum unum opii. vix peribit ullus ex aegris. toto hoc tempore potum concedo liberalem, quem negant fere aegrotis alii, sed cum maximo detrimento. sed do Lac cum duabus partibus aquae hordei calide. aut decoctum hordei, cum pauxillo vini & cinnamomo & pane tosto macerato. aegrotanti interea, Lac, pulz avenacea, hordeacea, oryza, milium, hordeum, avena, & inde parata edulia, concedantur. licet enim in hac methodo dare, quae vetantur aliis. Cernis: ita excutitur contagium susceptum antequam infecerit sanguinem. Interim spiritus instaurantur Cardiacis, potu, opio, quod forte summum in his nomen meretur super omnia reliqua. si autem malum jam durasset per aliquot dies, antequam bona medicina paratur, & vires jam essent maxime prolapsae, tum non auderem viam hanc insistere; sed ilico curarem injiciendum hoc Clysma, quod fit ex terebinthinae Venetae drag: ij: Vitell: ovi N° i subactis admisceatur theriacae andromachi unc: ß: Lactis recentis in quo ferrum candens extinctum aliquoties unc. VIIj: id repetendum curarem omni spatio XXIV horarum, usque in vicem quintam interim sumat omni hora unciam unam de sequenti potu, qui fit ex vini maturi, dulcioris, ℔ß: aquae decocti hordei ℔ß: Cinnamomi unc: ß. Sacchari drag: VI. mane autem & vesperi deglutiat opii semigranum. victus ut in praecedenti neque haecce methodus ellusit vota unquam, ita ut fere secure illi possumus confidere. tamen omnino fatendum ingenuo est homini, multa deprehendi corpora, adeo tenuis fabricae, ut ferre nequaquam possint geminatos hosce vomendi impetus, dum tamen aeque certo, atque tuto curari possunt, sed via leniori hacce. Simulac dysenteria incipiens primis se signis manifestat, ilico bibat aeger hunc haustum Sume hujus Rhabarbari in tenuissimas lamellas tum demum scissi Scrup. IV vel V, in mortario vitreo contereter cum aquae communis, sensim affundendae inter terendum, unciis duabus, ut fiat pulticula aequabilis, cui dein affunde aquae stillatitiae, Cinnamomi unciae semissem: vesperi ejusdem diei deglutiat granum unum vel alterum Opii hujus. id continuetur usque in quartam, quintamve, vicem, erit sanus. atque & in hac via curandi victus refocillans idem priori confert. ausim asserere, omnis dysenteria sanabilis, quae nec dum scilicet gangraenam peperit, his tolletur. verum saepe accidit omnem ventriculi, hepatis, Panchreatis, intestinorum, fabricam adeo debilitari, laxarique ut humores huc ruentes effluant, vires labantur, subito moriantur. cito hic certoque opus

mense

opus remedio. ergo ilico tum detur theriaca ad drag: ij: cum vini calidi unciis VI., superbibat decocti panis cum vino, ex cinnamomo parati calidissimi uncias XIJ: sudet leviter, simul applica epigastrio theriacam ad alutam extensam. injice clysma ex aqua ferrata fabrorum vel lacte ferrato, cui adde cortic: granator: vel suber: quercus unc: ij: theriacæ drag: ij: Ebulliant parum, dein utere pro clysmate. certo juvat. repeti debet omni mane per tres quatuorve dies successivos. hæc sunt primaria quæ de dysenteria didici re ipsa interea nosti, si inflammationis summæ, suppurationis, gangrænæ topicæ, signa docuerint præsentiam horum malorum, variandam etiam esse remediorum methodique naturam. sed hæc tum communia requirunt aliis similibus morbis auxilia.

Superest jam ut votis tuis morem gerens pauca etiam commenter de natura & sanatione febris castrensis hungaricæ. eam nunquam exploravi. tu expertus longe firmiora experiundo scies, quam ignarus ego conjecturando invenire possum. observat Hippocrates & post eum omnes: in omni febre epidemica, et endemica conciliari humoribus contagium aliquod pariens febrium. verum illud duplici fit modo semper. Primo enim aliquando excitatur a peregrino hoc stimulo sanguinis sani violentior circuitus. tunc est calor ingens manifestus, toto corpore, respiratio fortis, densa anhelosa; pulsus celer, fortis, magnus, expansus; urina rubra valde; sitis, siccitas, anxietas, delirium, inquietudo, ingens. febris hæc his signis cognita, requirit venæ sectionem, dilutionem nitrosa, oxymel, pediluvia, balnea vaporis, erectum corporis habitum, clysmata nitrosa diluentia, diætam tenuem ex hordei pulticula &c: potum aquosum, acidulum. ita facile sanantur naturæ artisque auxilio. Sed vero aliud est genus hujusmodi epidemicæ febris longe pejus atque lethalius, quod vix centesimo observatur medico. in ea quidem febricula est vires ilico prosternens, absque apparentibus malis signis; calor longe mitior, sæpe vix percipiendus, cum frigore sæpe externorum. respiratio impedita, angusta, anxia; pulsus celerrimus debilis. vix percipiendus, tenuis, maxime inæqualis, sæpe quasi evanescens, urina non rubra, sed plerumque lactea, turbida, absque sedimento, aut varia penitus, sitis sæpe minor, siccitas oris, linguæ, faucium, inquietudo, deliria levia, anxietates leviores. febris hæc sæpe sola virium jactura se prodit. adeo latere solet & fallere: quum interim longe sit priori periculosior, tam ex sua natura, quam ex mala ejusdem tractatione; adeo ut ipse Princeps Hipocrates in his aliquid sacri vel divini agnoverit. simulac febris hæc deprehenditur adesse: surgat æger ilico de lecto, sedeat in sedili, moderatissimo modo fruatur calore; abstineat ab æstu;

capiti

capiti, manibus, Epigastrio, applicentur fomenta ex aquæ et aceti ā q. s.; pedibus & nuchæ noctes diesque applicentur Epispastica ex fermento acri panis cum sale et aceto subacto, bibat decoctum hordei cum succo citri aurantii, cum Rob Ribesior:, Cerasor nigr:, sambuci et similibus, larga copia ubi largo talium usu permaduit, si sponte sudat contineretur ille lenissime sine ulla omnino violentia sed quam mitissime, cibus esto ex panada cum vini pauxillo & similibus, medicamenta tum dentur omnia, quæ putredinem arceant, humorumque nimiam dissolutionem prohibent, qualia hæc & similia. ℞. fol: rutæ scordii ā M. ij. cortic: citrei flad: unc: ij. succi citrei recens pressi unc: iij: aut ejus defectu aceti vini acris unc: iij:, aq. commun: ℔ IV stent in infusione fervida sine ebullitione vase rite clauso per horas VI tum liquori per pannum depurato admisce Rob sambuci unc: IV. aq: still: cinamom: unc: j. bibat de hoc liquore æger unc: j omni hora de die & noctu nisi somnus impediverit. En tibi Chare et clare, Vir, hæc sunt illa compendia, quæ simplicia quidem, sed tamen principalia, habeo arcana in tenui arte, quam diligenti sollicitudine quæsivi. liceat autem mihi candide eloqui: hæc distinctio febrium in has binas, diversas, classes; harum per signa prudens cognitio, atque diversa pene curatio; est fere præcipuum quod didici; nec temere crediderim aliud esse, quod magis prosit medicis, ægrisque. Vale. Excusa quod ocyus non responderim? sane meditatio tempus requirit et Rei seria conscriptio. Lugd: Batav: 17 26/4 37

hodie itinere terrestri per noribergum Viennam misi Rad: ypecac ℔ V quinquinæ ℔ XIj: Rhei ℔ V. Opii ℔ IV.

+ Doctem Catelan

Epistola 11^a

D Bassand Medico celeberrimo Boerhaeve S. P.

Benevolentiæ tuæ & amicitiæ excessus supra modum erga me est, mea vero in te merita vel nulla, vel minimi sane momenti habentur: quare erubesco quoties tot me encomiis obruis, quorum certissime nulla in me ullo modo reperitur causa. itaque ignosce deprecanti? oro ne aliam in animo meo dotem agnoscas quam candidum tibi serviendi animum.

barometrum itineribus aptum singulari factum arte, tibi hic curavi faciendum, aliquid requirit vite ut fiat temporis, mittam ocyssime directo in castra itinere. Pixidem nauticam quæ ventos notat, non mittam: quia nihil in his singulare hic loci, & Viennæ æque accurate venales prostant. Si cum

vera

vera ratione in castrametatione varia proficere in animo est, quaeso, lege cum attentione aureum libellum Hippocratis de aere, aquis, & locis: nec enim habet similem sed vix est, qui nobile opus legere aut intelligere conatur.

Aquae haerentia metalla instillatione olei tartari precipitantur, arsenicum minus, et tamen deterrimum est; eodem oleo tartari patet sal acidus latens. Sulphuria & arsenicalia in aquis latentia, instillato vitrioli oleo fere lactescunt, foetentque, si vero admiscentur alcalia flavescunt ferme aut rubent. mittam tibi eodem tempore Thermometrum & Microscopium, eorum quae novi optima, una cum designatione boni usus.

Medicus Casimir Vitella[x] egregius est animi & doctrinae dotibus, gaudeo, quod amicitia eum digneris: meretur enim generosa ejus indoles fortunam ea, qua fruitur, leniorem.

[x] Docteur Catelan

Pervenient eadem opera ad te viginti quinque exempla libellorum meorum, quae tibi donare audeo. quia desiderare te scribis nihil hic quod meretur lectionem tuam, nuper est editum opus Bellini nobile recudendum curavi in commoda studiosorum.

Maximas ago gratias, quod velis colligere in meos usus naturalis, nec mutatas ulla arte glebas fossilas, metallicas, semimetallicas, vitriolicas, sulphureas, non admodum magnas adeo, quam quidem varias, ut naturae in iis agentis modum discere queam: maxime autem desidero ut magistri fodinarum adderent nomina singulis, & natalem locum: raro hic prestant ut fidem habere tuto iis possumus, neque ulla ad haec festinatione opus.

Si Principi Eugenio aliquid offerre velis, poteris me monere, curabo, habeas, si explicat animi sententiam tibi, sed quaeso ne significes illi a me venire: nil plus fugio, quam Principibus innotescere; confisus amicitiae tuae, audeo hanc a te sperare gratiam.

Areometra etiam conficienda curavi mittamque.

Caeterum nihil meritum nullis benefactis oneres oro! nisi solummodo constanti amicitiae dono gratissimo, atque mandatis eorum, ~~atque mandatis eorum~~, quae opera mea hic praestita voles. Vale

Lugd: Batav: 17 $\frac{25}{6}$ 17

Epistola 52.a

Viro Clarissimo Bassand

H. Boerhaave S. P.

Microscopium, Barometrum castrense completum, tubos iis pro aliis conficiendis, et instrumenta hygrometra, ut mandasti, mitto, pro iis expendi de ære tuo florenos 43 pro vectigalibus quid impensum postea scies. Vale.

Lugd: Batav: 17 5/17 37

Epistola 53.a

Medico claro Bassand Amico singulari

H. Boerhaave S. P.

Accepi à D. Schaphuisen fl. 250 quia magna id sub poena voluisti. dein paranda Principi instrumenta quam optima curavi, erunt omnia parata post sex ab hinc septimanas quæ vero jam in promptu habebat artifex, mitto; quorum usus intelligitur quam facillime spectatori, in primis tibi tam industrio: fonticulus vitreus primo impletur aqua ad dimidium, tum tubulus vitreus ad fundum usque immittitur, ceraque ad locum immissionis bene obducta agglutinatur, dein maxima quis vi aerem inflat per tubuli eminentem aperturam, simul ac remittit exsilit aqua, eo fortius quo propior igni tenetur fons. Phosforus Mercurii concussus in tenebris lucet. numquam debet aperiri, aut mox perit Telescopium hoc britannicum optimum, jam demum accepi. globuli vitrei candelis immissi displodunter cum sonitu instar bombardæ minoris ubi flamma accedit eousque candelæ; quo ludicro eventu in aula sua nuper Princeps Walliæ stupefecit omnes. en tibi sumptus impendendos omnibus, absque vectigalium impensis. Si Princeps his oblectatur; alias machinas egregie inventas comparare potero.

Mitto porro tibi Bellini Opera, et quinquaginta ex meis libellis, quæso hæc accipe exiguum magnæ pignus amicitiæ, ut à tuo profecta. Vale

Lugd: Batav: 17 25/9 37

Epistola 14.a

Doleo casum Illustrissimi Principis! Servet eum arte Tua Deus! utinam verò diutius tam sapienter, quam feliciter castrenses curavisses! egregia quippe, quæ observavisti, et quæ præstitisti, pulchra! capio cætera; Chirurgi morbum miror. unde homini adeò Subita effusio ex omni vase humorum! Vermes castrensibus proprij noscuntur tumore ingenti præcordiorum statim à pasta mediocri quàm certissime, certissime vero necantur remediis tuis. Gaudeo instrumenta placuisse! barometrum illud optimum est, et ingeniosi artificis inventum nulli, ut credo, nisi Tibi jam apertum. Microscopium anglicum, de quo scribis nullum hic prostat. Si urges, amicos orabo, ut mihi mittant ex anglia, quod deinde Tibi queam mittere. Nummos, quos mihi consignavisti, non accepi: quia me pudet tot accepisse à Te beneficia, nulla Tibi præstitisse! quæso, nè sit mea Tibi amicitia pretiosa! pluribus me ditavit Deus, quam quæ Viro bono necessaria ad corporis comoda! amicitiam vero tuam facio quam plurimi, meamque Tibi sinceram servabo. Simulac accepi mandata pro instrumentis Nobili Garelli emendis, curavi optima fieri, examinabo ipse et mittam quàm potero ocyssimè! vale! Lugd. Batav. $17\frac{21}{1}17$

Momento post has scriptas invenio Tuas datas 1 Feb: omnia curabo, quæ pro Principe petis, sed optimè paranda. Quæ emo, ilico ipse persolvo, ut sollicitus haud sis: certus sum me præstantissima instrumenta comparaturum, si paulum possis exspectare. Invitus facio, quòd de argento jubes. vale!

Epistola 15.ta

Felicissima anni auspicia precatus fateor mihi redditas tuas, datas $17\frac{14}{1}18$. atque eas quidem amicitiæ quam plenissimas et benefactorum, pro quibus perpetuas Tibi gratias agam, seduloque, ut quid rependere queam studebo. Fonticulus Stürmii impletur aqua, imponitur tum suo catino, salit simulac digito obthuras canalem medium, nil exit, eo rursum laxato, salit, sicque pro lubitu: ut monstretur pressio aeris gravis atque sursum, quam deorsum fonticulum vitreum mittam, simulac instrumenta

parata erunt, quod brevi fiet. Scribam Londinum pro microscopio, ut impetrem, quod petis. Summa quidem mentis applicatione perpendi mecum historiam Principis Dominæ, neque tamen aliud quid causæ deprehendo, nisi dilatati intestini cæci cavitatem obsessam duriore materia tempore graviditatis impacta, collectaque, atque dein difficulter resolvenda, nisi forte et ovarij dextri Scirrhosa quædam adfuerit labes: Sanè incisorum cadaverum contemplatio sæpè hujusmodi causas spectandas exhibuit postquam malis similibus obnoxiæ dudum ægræ languerant. solent interim hysterici affectus morbo huic comites semet dare, indeque mæstitiam conciliare animo quæ pejora cuncta efficit. Mihi quidem videtur optimum fore, si mane et vesperi locus bene ungeretur perfricareturque hoc unguento. ℞ unguent. martiati nervini ā unc. ij. olei stillatit: ligni Rhodij drach j. atque bibat omni trihorio diei unum cochleare hujus misturæ.

℞ Sal. vol. oleos. nostræ descript. in Coll. chemico Unc. j.
sp. Cochleariæ - - - - - - - - - unc. j: β.
Tinctur myrrhæ } - - - - - - - Unc. iij.
——— Succini } nostræ descript - - unc. j β.
——— Castorei } - - - - - - drach V.
Syrup. artemis. Fernelij
——— 5 radic aperient. - - - - - ā unc ij.
aq. stillatit. lavandulæ
——— Majoranæ
——— Meliss
——— Salviæ - - - - ā Unc. VI.

M.

Hæc continuentur spatio mensis dein eventus docebit quid agendum porrò siet. vale!
Lugd. Bat. 17 2d/1 10.

Epistola 16 ta

Gratulor tibi felicem ad balnea adventum, Consilij simul et successum precor! circa usum multa, quæ addam

creberrimo usu probatis legibus, Sanè vix habeo. como-
-dissimum equidem videtur, mane potare aquas, easque
corporis motu promovere. prandio dein Sicco, vinoque
meraco, instauratum corpus pomeridiano tempore
iterum exercitare, ut circa vesperam moliatur
balneationes atque circa egressum ex balneo optimum
est frictione abdominalia agitare, atque hipogastria
inprimis. diemque finire levi cœnâ.
Sapienter profecto spectasti æquè corporis in aëre
assidue mutato concussus, itenerisque effectum in
consilia, quam ipsum Thermarum emolumentum
Maximè quum hæc usum balnei præcedant atque
Sequantur. Gaudebo si valentem Te amplecti hic
detur. Spero antè tuum Viennâ discessum jam tradita
fuisse instrumenta, et placuisse. Gratias ago pro
fossilibus advectis! Sed doleo benefactis Tuis jam
obruto mihi nullam concedi oportunitatem aliquid
liberaliter præstandi, quo gratum tester animum.
Certe, si tot benefactis maximum Supperaddere velis,
exhibe officij testandi occasionem. Vale! Lugd. Batav. 17 27/5 10

Epistola 17.ª

Recepi cistellam cum fossilibus lectissimis, quæ Tua
mihi cessit liberalitas. Gratias ago quam maximas
pro his! eaq locabo in gazophylacio meo monumenta
amicitiæ aere perenniora. Si alia colliges mihi, opus
non est, tam magna corpora mittere, quum Specimina
Sufficiant. Summa cum curâ, nec sine labore magno,
ipse præsens operam dedi ut pararentur Principi machinæ,
hasce jam mitto exquisitissimas, et aptas oblectare Sapientis
animum: addidi descriptionem usus cum iconibus, literasq
inscripsi iconibus et instrumentis easdem, ut errare vix
possis. Certus sum, neminem in Europâ exquisita hæc
ita habere. Persolvi artifici, Expeditoribusque maximum
pro hisce hinc usque Noribergam R. 460 libras florenosve

batavos, inde accipies tres cistas notatas BHB. 1. 2. 3. à Jacoba Blumart Noriberg. fonticulus Sturmij impletur inversus aquà per tubum medium, tum imponitur, ~~ut~~ patinæ addito, quæ vasi supposito innititur, ut medius tubus respondeat foramini patinæ. tum exit aqua, dein subsistit. et paulo post sponte iterum fluit, quod mirabile ignaris apparet. fonticulus ille vitreus non est magni momenti. Scripsi Londinum pro micro-copio. nactus mittam. vale! Lugd. Batav. 17 $\frac{10}{3}$. 10.

Epistola 10ª

De felicitate curationis hactenus gratulor successum porro apprecor! à longo tempore verebar scirrhosi quid circa uterum vel ovaria. utendum est occasione ad solvendum: ideo putem, largiter satis adhibendas aquas post balnei absolutum usum; scis enim quam sit pertinax id mali. neque verò nocebit mollito per balnea corpori dein iterum aliquot dierum spatio potandas præbere easdem aquas, maximè quum iter mox satis roboraturum sit quod forte aquæ virtute languebit. Doleo magnâ spe excidisse Te coram amplectendi! Interim solatio erit ex litteris valetudinem Tuam nosse mandata excipere et exsequi.

Miror ante dicessum Tuum instrumenta nondum appulisse viennam. Litteras accepi argentum solutum mihi est, supersunt floreni quadraginta. Sed exspecto microscopium Newtonianum ex anglia quantocijus, ubi appulit, inde solvam.

Gratissima mihi, imò et honorata est occasio aliquid præstandi Tibi quod placet: liberè ergò quod vis manda. Est Aquisgrani hoc tempore nobilissimus Baro de Wassenaar; meo ex consilio. Si ejus primo Ministro

pyxidem

~~possintve, Senes meliora discere. Sentire cum bonis~~, cum

pyxidem cum fossilibus tradas mihi deferendam aliquà; et primâ quidem occasione, bene curabitur hoc negotium. vale. Lugd. Bat. 17 7/6 101

Epistola 19na.

Accepi Londino ita pridem microscopium, misissem jam, nisi expectassem herbas, quas Aquisgrani petiveras eas nondum potui nansciscei. Itaque exspectare oportet, donec Indiæ Orientalis Societas vendiderit suas, tunc curabo. Doleo harum nugarum pretium immane, Unc. j. radicis nuzin, nec optimæ tamen, vendita quadraginta florenis batavis. Ego cassa nuce visc emero: ita insaniunt.

En responsum Ravij super casu proposito. mea sententia est, si tu præsens curare haud potueris, incurabilem esse morbum. Crederem optimum fore, ut Parissios eat, consulatque ibi arnoldum et Petit ut poté expertissimos. Luxati humeri historiam speculatus puto, si vera est, omnio reponi debere et posse. Consultissimum foret ad eam rem uti instrumento et methodo Magistri Petit Parisini, ut est in ultimo ejus de morbis ossium libello. Omnium tamen optimum foret, ut æger Parisiis clarum in hac arte virum Petit ipse adiret: nec dubito de felicitate eventus.

Lugd. Batav. 17 23/9 101

Epistola Ravij

ad Hermanum Boerhaave.

Clarissime Collega.

Quum heri petiveris meam sententiam de dislocatione quam patitur vir nobilis ætatis 29 annorum, in articulo humeri cum scapula jam per quadrimestre spatium, ex qua afficitur symptomatibus que luxatum

batavos, inde accipies tres cistas notatas BHB·1·2·3· à

hunc articulum comitari solent abolitis nimirum Sursum, antrorsum, et retrorsum motibus, cujus reductionem neglectam esse dicis in inito à Chirurgis ignaris luxationis. Sed cum constet experientia interdum alios in quibus humeri caput ex cavitate Scapulæ non nisi parte elapsum est, sed fractus processus coracoïdes inflexus versus caput humeri, amplitudinem cavitatis clinoides imminens, obstat libero capitis motui, unde hos superveniunt eæ motuum depravationes, quas humero luxato contingere experimur. Ex his mihi dubium nascitur, an causa in luxatione humeri, an in fractura processus hæreat.

Cum ultro sciscitaris, quæ spes sit curationis, vidi sæpius luxatum humerum longius extra sedem positum, rursus in sinum suum positum esse, tu verò judicas in hoc ægro reductiones tentamen ter incassum fuisse. Unde dubium meum augetur de luxatione; in quibus verò à fracto et inflexo processu causa hæret, aliquando curantur, si in principio res nota chirurgo humerus suffulciatur per suspensorium circa cubitum appositum, ut depressa particula fracturæ tam diu sublevetur, donec coalita situm parte à qua distracta esset in forma quam obtinuit ante fracturam, Hoc si non contingit, et incurvata altera pars manet, Hi per totam vitam humeri motibus privantur iisdem, quos luxationem supervenire dixi. Constat in tribus hoc incomodo obrutis qui immobiles habent humeros jam à 15. annorum spatio. Quod moneas jam infrà musculum pectoralem tuberculum humeri latitare rursus dubium auget, an sit vera an spuria luxatio quod in hoc ægro ab experto chirurgo, temperie sicca quùm non impeditur à pinguedine melius detegi poterit

~~possintve, Senes meliora discere. Sentire cum bonis,~~ cum

et dubium hoc solvere. Hæc ea sunt, quæ ad tua
quæsita respondere voluit Collega tibi addictissimus

Rauius.

Epistola 20ma

Hoc demum die, septima vespertina accipio litteras,
quas ad me dedisti Viennæ Austriæ ibidem scriptas
primâ Augusti 1719. Simul cistellam cum fossilibus,
quæ ex meo voto, usuique chemico, tam benignè
collegisti. Gratias Tibi debeo, debeboque semper quam
maximas, quod me liberaveris magno metu, nè hu-
-mani quid evenisset Tibi! quem honoro, amo, sal-
-vumque cupio, ut quem maximè! quid enim poteram
cogitare, dum tanti temporis decursu nihil de Te rescriscerem.
Quæso, licet causæ sit nihil ad scribendum, omni tamen
trimestri spatio facias sciam qui valeas, quam vitam
degas, quas familiam habeas: id enim scire me juvabit.
Porrò maxime quoque obstrictum Tibi reddidisti me
pro munere gratissimo metallico! his quippe delector
magnopere, nec ulla mihi hic loci oportunitas ea adquirendi
ita, ut certus sim de genuina indole: quia imperiti sunt,
qui vendunt, et sæpè maligni. Mercator ille Antverpianus
Verwilt redux, ægrotavit huc usque, ut potuerit efficere
huc usque eorum quidem nihil, quæ in se susceperat
nec aëre frui potest hactenus. Igitur scribas mihi cum
Tabellario consueto, anvelis me Tibi expedire micros-
copium, id quod de plantis acquirere potui à Te quæsitis
atque fibulas ad herniam! Cæterum nihil mihi debes:
nam restabat apud me tantum de ære Tuo, quantum
pro microscopio et expensis requirebatur. Laborem
impensum emendis, accurandis, describendisque instrumen-
tis, quæ Tibi misi, Tuâ sane feci gratia, nec aliquid
volo[3] prò[1] hoc[2] unquam. Utinam possem frui occasione

batavos, inde accipies tres cistas notatas BHB·1·2·3· à

majora Tuisque digna magis meritis, præstandi Tibi. Gaudeo interim, Principem nondum se dedisse experimen-tis videndis! id enim recté valere Eum me docet. Sed quæso, né ita irascaris aliis, ut mihi auferres voluptatem Tibi inserviendi Tuisque. Vitella Amstelædami Sua vivit sorte contentus, seque sustinet faciendo medicinam; credo eum emersurum, si eruditio et virtus ejus innotescent. Opium videtur virtute Suâ omninò singulari semper pacare motum Spirituum animalium, somnum, ebrietatem appoplexiam, facere nimiâ copiâ. Sed comuni aliis vi apparet medicamen calidissimum omnium. Unde duplici hac vi propriâ scilicet in Spiritus, et calidâ communi in omnia agit: fortè licet inde conjicere, opium nocere, ubi morbi habent spiritus animales debiles, turbatosque à defectu, ut in nonnullis tenerimis hystericis, nec enim in cunctis Te id observasse, putem. Hæc sanè ego soleo dis-tinguere in eo adhibendo, nec video nocere, si parca, repetitâ, porrigitur dosi. Ex: gr:

℞. Succi Limonior. recens pressi Unc. ß.
Opij purissimi - - - - gran. j.
in mortario vitreo accuratissime contritis
simul admisce
Aq. Stillatit. Cinnam — drach. VI.
— Cortic. Citrei - - unc. jß.
— Melissæ — - unc. ij.
Syrup. violar. - - - - - drach. VI.
Tinctur. Succini - - - - - drach. ij.
M.

bibat unc. ß omni quadrante horæ, donec sedentur paroxysmi. Vale! Lugd. Batav. 17 15/1 20

Epistola 21. a

Gratulor Tibi de recepta valetudine, quam firmet, proroget Deus! Tu fuge nimis acrem mentis exercitationem, corporisque motui potius indulge, ne crudescat malum. Corporis interim fricatio frequens proderit, vinique temperatus usus, et equitatio. Microscopium, Ligaturas, et Acmellam mitto, cætera non prostant, ut inquisiverim. Medicos Te prosequi haud miror. Suadet ambitio, et avaritia, cogit verò desperatio, cum diffidant propriæ arti, nec temere velint possintve, senes meliora discere. Sentire cum bonis,

cum

~~possint ve, Senes meliora discere. Sentire cum bonis~~, cum multis loqui, Sapientis est. fac, ~~et tace~~! faustissima quaque Tibi, familiæque apprecor Tuæ! vale! Lugd. Batav. 14 23/3. 20

P. S.

Misi hodie Amstelodamo Viennam, pro Te, cistellam ad D^(nu) Benedetti, in qua microscopium, duæ ligaturæ ad hernias, Index plantarum, herba et flores acmellæ. Cætera desunt. vale!.

Epistola 22.^a

Gavisus ago gratias, quod liberaveris magno me metu: neque enim causam reperi tam diuturni Silentij in viro amico, nisi forte humanius quid passo. neque minus sane me refecit, quod intellexerim aulâ Te exivisse, cujus Princeps metuit Sibi à tenello infante Suamq. in eum tyrannidem præfert incolumitati pueri, vano ßterrore animum meticulosum percellenti. Tu functus officio, sis porro Tuus, non alterius. Exeat aulâ qui vult esse pius. Doleo autem, Te, minus benignum, fecisse tanti, ut revocatus ad animum dolor firmitatem judicij concusserit. Gratulor interim de honore in Te collato post tot tormenta, optoque, ut felix dein Tibi, Tuis, et publico, prosis. Usus absinthij sæpe nocet oculis, sed monet incipiens hallacinatio, quæ quam diu non advertitur licet pergere. Radix Aristolochiæ longè podagram lenit, sed vitam fecit brevem plerisque utentium: cave! brevi mittam libros, quos petis, Poteris Principi Eugenio offere unum, alium retinere Tibi; Fac autem id Tuo nomine, non meo: neque enim ambio, nec volo, innotescere Heroibus. Cæterum, amice, mihi debes nihil, plurima ego Tibi pro missis fossilibus, quæ accepi. Sed doleam maxime infortunium, quod accidit. Scilicet erant diversa in unâ cistellâ, atque erant omnibus adscripta distincta nomina, sed inter cætera quoque

interposita fuit Sarcinula cum plumbo fossili nigerrimo, id concussu Rhedæ dispersum per reliqua ita delevit omnes litteras suâ nigredine, ut nil legere potuerim. Si auderem itaque, Seriò rogatum Te vellem, ut comparares mihi parva quædam Specimina, et diversa quidem, metallorum, et Semimetallorum, ut hærent in Sua matrice lapideâ, vel aliâ, in ipsis fodinis. multa quidem possideo, Sed vidi inter ea, quæ misisti, quædam valde Singularia. Manda autem amicis, ut Singula Specimina in Sacculo coriaceo puro immissa, et accuratè notata distincta que mittant, addantque Catalogum recte designantem, loca natalia, naturam, nomina, glebularum. Hæc tamen eâ lege, ut fiant meis impensis: quia lubens aliquid in hæc effundere volo, ~~nec possum hic acquirere. Id quod profuderis~~ pretium, ^ Auri inprimis, argenti, cupri, argenti vivi, Cinnabaris, Vitriolorum, lapillorum Coloratorum, varietates in matrice adhuc mistas desidero. Remedia Singularia vix novi, nisi Ens Veneris Helmontij, magnum in morbis multis remedium. Si vis mittam aliquid, propria manu paratum. utet ♂ diaphoreticum Helmont: utraque bona, Sed multo labore facta. vale! et Scias me accepisse litteras tuas hodie 19. martij, licet videam Scriptas 20. Januarij. Lugd. Bat. 17 19/3. 21.

[interlinear: nec possum hic acquirere. Id quod profuderis in hac [illegible] dico refundam ubi indicaveris]

Epistola 23^a

Fruere, et utere, ingenti libertatis privilegio, quod datur Tibi Soluto à necessitate obediendi affectibus eorum, qui rarò rationem Sequuntur. Pax animi corpori bona et malorum medicatrix. Grates ago pro tot amicitiæ, et benevolentiæ Sané immeritæ documentis, quibus [me obruis]! malum, quod fossilibus accidit, tanti non est, ut Te affliciat. quod tam liberaliter offeras quinque fossilium Specimina, magnetem, Serpentem, petrefactum, gratus

[margin: pareggia la gita de la cour]

accipio, lubensque, ut et quæ ex Hungariâ Stiriâ, Tiroli, Temiswar, Bohemiâ, deferenda curavisti; sed eâ lege ut refundam, quæ his coëmendis effuderis, non aliâ: Scio enim, quod ingenti satis pretio constent, injustissimum verò esset, me Tibi gravem non modò per curas, laboresque, sed et per impensas. Credas autem, solâ hâc mercede mihi placebunt. Poteris autem mittere quantocitius, modò cum securitate certâ itineris, ne pereant, nec confiscentur circa telonia.

Ens ♀, et ♄ flores, parabo, mittam, adjungam præscripta; spero inde Tibi bona; horreo, quod ajas, velle Te iis uti in mea commoda! absit! sum enim totus Tuus. libros mittam, simulac medicamenta parata habuero. Vale! Lugd. Batav. 1 $\frac{22}{4}$ 21

Epistola 24ª

Gaudeo Te rectè valere, quod mihi testari id volueris ago grates, utque fruaris incolumi diu sanitate precor. Quid verò dicam de repertis tot fossilibus, quæ Tua destinat mihi liberalitas! plus inde lætor, quam nactus gazas persiscas. Utinam significes mittens eadem pretium pro comparandis expensum! Plenum ita mihi parabis gaudium. Si velis expedire quàm ocyssimè facies magnum benefactum mihi. ajunt hic amici nihil fore tutius, quam si impetrares Viennæ testimonium publicum ab iis, ad quod pertinet hoc negotium, quó certum fieret, cistellam continere modó, quæ soli serviunt speculationi studiosorum. velis mittere per Veredarium consuetum Noribergam, Domino Blomardo Scribasq. quæso, quod sit in cistellâ talis materies, utque curet idem dici et sciri ad Telonia, quodque æstimetur pretium triginta florenorum Batavorum: ut possit solvi, quod pro eo debetur ad telonia publica. Ita securam peragetur hoc negotium. Tu autem facias quæso, ut

catalogus non maculetur parum rerum: quare opto ut mihi mittas unum in epistolâ per tabellarium publicum, et alterum, vel duplicatum ut vocant, in cistellâ. Ille enim in ultimâ Cista erat totus commaculatus et laceratus, ut legere non potuerim. Tum inprimis sis sollicitus, ut numeri adscripti non maculentur nec chartulæ contundantur inter vehendum; quod et ibi contigerat ita ut nullum numerum potuerim agnoscere. Nam asperitas fossilium durorum per concussus assiduos, contundit, dilaceratque Chartulas: quare foret tutius singulis sacculis coriaceis imponere parvum frustulum pergameni cum inscripto numero, et tum adhuc extrinsecus notam eiusdem numeri pingere externè in corio sacculi. fiet ita ut generosa tua liberalitas potiatur suo mihi benefaciendi voto. Ego curabo, ut brevi accipias libros, aliquot novos, nec indignos Tuâ Speculatione, fecissem id jam, nisi elegantissimam dissertationem ductus Thoracici humani delineatricem * D. Cant vid. infra voluissem addere. Vale! me, ut Tuo, utere. Lugd. Batav. 17 7/21.

Epistola 25^a^

Accepi fossilia, quæ ad me misisti. nihil pulchrius, melius servatum nihil, vidi. grates ago, quas possum, maximas, tam pro amplissimis donis, quàm pro insigni, curâ, quam ritè distinguendis servandisque impendisti. Hodiè misi cistellam ad Te, cum libris quibusdam. Scilicet tria exempla Indicis mei, aliquot exempla ultimæ editionis Institutionum, et librum pulchrum Anatomicum D^m^ Cant, quem Tibi retineas, quæso, quia non erit venalis, quum auctor pauca modo curaverit suis impensis imprimenda, interque amicos, aut inter

anatomicos

mihi donasti, cæteras invitis omnibus brevi lustrabo;

anatomicos, distribuenda, addidi et rarissimum tractatum Terranei de Gonorrhæa, qui lectu quam dignissimus. Helmontij, et Boylæi medicamenta dudum parare conatus, incredibili negotiorum onere impeditus, propediem conficiam, Tibique mittam, cum descriptione exacta. Vale! vir amicissime, et me, ut Tuo utere! Lugd: Bat. $17\frac{25}{10}21$

Post has exaratas accepi Tuas ultimas. pro oblatis ago grates! gaudeo, Te valere! gratulor de filio Tibi nato! faxit Deus in eo virtutem Spectes et Sapientiam. Ego semper Tibi certus ero amicus.

Epistola 26[a]

Acceptas meas placuisse gaudeo. Spero inventurum Te in medicamentis descriptis, quod salutare ægris, Tibi utile sit, et honorificum. Æthiops fossilis, quem laudat Harris tutum satis remedium, nunquam intrans in sanguinem, sed ventriculi regionem, et intestina transeuns repurgat maximè à lumbricis, quibus infestum venenum habetur. ptyalismum non ciet: quoniam inerti suâ crassitie minutissimos vasorum lacteorum et mesentericorum, osculorum meatus prætorlabens, humores non adit: sæpè expertus loquor: verbo dixerim crudior est Cinnabaris. Semina recentissima Tatariæ Hungaricæ, et Sphondylii maximi Transylvanici, Ricini folio, desidero, at dubito, sintne apud vos, qui noscant! Historia morbi facit, ut credam, vix sanabile malum amici Tui. pro amicitiæ, et benevolentiæ, liberalissimis, et geminatis semper muneribus, gratias ago quam maximas. Vale! Lugd. Bat. $17\frac{3}{4}22$.

Consilium Boerhaave Epistolæ præcedenti adjunctum

Curiosè expendi indolem descripti morbi, atque consilia data, et remedia, illi curando; inde in eâ, quam enarro sum sententia. Videtur causa mali hærere in ipso cerebro: utpotè primo ortum ibi, atque directa modo oculorum

catalogus non maculetur barum

acie in contemplationem intentam corporum se manifes-tans, inde tantum natis in initio Spasmis, inde continuatis tantum; accedit et in capite deprehensus subinde hærens dolor.

Erit eo difficilior sanatio, quo credibilior hæc de loco affecto sententia: maxime, quum auxilia tam bona adeò valida, ritè applicata, eludantur ab invalescente vi insurgentis contra hæc morbi: nec meliora video. maximè metuendus videtur progressus mali uni in violentos inde successuros spasmos; nec est absque exemplis, ita quod sentiam.

Neque multum habeo, quod proponam, porrò agendum optima quum jam adhibita sint, neque vel ipsa argenti vivi virtus profuerit, licet humores dissolverit penitus, usque in ipsam corporis emaciationem. Tentari posset delapsus calidæ aquæ in nudum caput mane et vesperi instituendus, ad dimidiati quadrantis horæ spatium, quotidie, per spatium sex septimanarum, cum frictionibus dein moderatis post singulas aquæ calidæ infusiones embrochas adhibitis.

Interim, toto hoc decursu, suaderem locum dextri musculi sterno=mastoidei mane et vesperi inunguendum diu unguento altheæ composito, ut sensim inde laxior cedat. Totam autem plagam colli, quam sinister sternomastoideus occupat, eodem tempore, fortiter perfricandum curarem pannis calidis, siccis supra vaporem accensi succini detentis, hocque fumo penetratis, ut ejus robur invalescens parem faceret æquilibrio cum antagonistâ obtinendo.

Lugd. Batav. 17 3/4 22. HBoerhaave.

Epistola 27a

Euge! accepi, quæ nunciant mihi prosperâ Te frui valetudine. Hanc incolumem porrò diu Tibi præstet Deus! gaudeo! Sed quid faciam ut tot benefactis respon-

mihi donasti, cæteras invitis omnibus brevi lustrabo;

deam? Sane facis me ita debitorem Tibi, ut
Solvendo non Sim. Quotiescunque enim glebas con-
-templor metallicas, quas Tua arculæ meæ Suppeditavit
liberalitas, cogor fateri; tot et tanta debeo amico meo.
Utique in ijs, quæ misisti ultimo, nulla fuit, ne
ærea quidem massula, quin adscripta illi nota integer
-rima fuerit, necque ex ligneis capsulis ulla fracta.
Sed omnia pervenerunt ad me quam optima. Vale! et me,
ut tuo, utere. Lugd. Batav. 17$\frac{19}{6}$22.

Epistola 28[a]

In tota Batavia unus modo aromatopola habet radicem
veram Ninzi, Sed Sceleratus ille lucripeta noluit dare
Semiunciam hanc, nisi Solutis illi primò 27 florenis:
Sic divites dimittunter inanes. Sanè ego non æstimo
pluris quam fœniculi dulcis radiculas, quibus hæ
conveniunt. Fossilia, quæ mihi misisti, Suo tempore
optima accepi, nec læsa; sed non potui videre: nam visum
est Deo me jam Spatio quatuor mensium lecto affigere,
ut nec dum vel erectus Sedere potuerim. quamvis lentè
convalescam. morbus est, quem inter auctores unus
Sydenhamus descripsit titulo Lumbaginis Rheumaticæ.
Nec valuere tentata plurima remedia, nec methodi.
Maximas ago gratias pro munificentiâ, qua me ditas!
Felicior fuisti, qui Similem morbum tam citò Superasti.
Usum purgantis omni mense non improbo, Si modò vesperi
Sumseris opiatum vid. Sydenhamum in ultimis Suis editis.
Vale! Lugduni ex lecto meo. 17$\frac{3}{12}$22.

Epistola 29[a]

Tuas equidem tempestive literas acceperam, quas jam
decimo nono Novembris elapsi anni ad me dedisti, una
cum Schedula ad Schaephuisen, ut Solveret mihi L. 27.
debueram responsam fateor. peccavi; ignoscas occupato
huic homini! parabam responsum, differe coëgit dolor,
dein verò moles negotiorum me tantum non oppressit

catalogus non maculetur harum rerum: quare aut

vix respirantem à languore. pudet me, quod nullam adferre possim causam, ut excusatus abeam! Tu mi care amice, condona hunc errorem amico Tuo! et illo utere porrò, ut qui sincere testari queat, se nihil magis studere, quam ut Tibi gratum quod sit, praestare possit; neque enim inter homines alium magis quam Te amo: quia nullum novi, cujus amicitiae plura debeam. remitto Tibi Schedulam hanc. impetrare à me nec potui, nec poterò unquam, nummos hos accipere: quare omni Te modo exoratum velim recipias. quin et continet duplo plus quam debetur. misi tantum semiunciam, tota autem uncia constat ℞. 27. Oro Te, ne aegre feras, quod tam libere agam. à morbo meo fere convalui, officia mea, tam publica, quam privata, ab ineunte anno hucusque expeditè satis curavi; sed nimium, quam par est, distrahor. superest dolor semper in regione lumborum, hunc expugnare conor largo, et quotidiano, usu succi pressi de Becabunga, cochlearia, fumaria, nasturtio aquatico, et Taraxaco. juvat satis hactenus. Paralysis, et atrophia jam superdatae sunt. reditum minabatur nuper dolor, sed cessit ilico liberali usui Trifolij aquatici. fidelis mihi consultor Sydenhamus fermè unus benè scripsit de hoc malo sub titulo Rheumatismi, methodum et remedia, quibus Te, aliosque felici sanasti sapientiâ omnio laudo, ipseque vidi optima. Utinam fas mihi esset consilia sequi, quae vera offers! utinam daretur tranquilla sequi ruris silentia procul à negotiis! atque uni Deo adorando, atque amando, devotam occupare mentem! Sed votis fata obstant et opinio aegrotantium, et discipulorum, me ubique prosequitur vel fugientem.
Bis enim ex patria jam excessi per mensem aestivis feriis ut scirent me nolle magis medicinae faciendae operam dare. Sed redux inota vidi omnia, nec peregrinanti alloquia effugisse datum est. Considera, quaeso quantam torquear! necdum potui recensere, nisi unam cistellam, ex ijs, quas mihi

mihi donasti, cœteras invictis omnibus brevi lustrabo;
sed multa ibi vidi tam pulchra, ut satis intelligam,
multas Te pro me in his legendis impensas effudisse.
id me urit! dedit plura, quam ut iis egam, divina libe-
ralitas. Cur ditesco ex alienis bonis? sane doleo, quoties
mecum his de rebus cogito; atque imprudentiæ propriæ im-
-putare cogor, quando revolvo me abuti amicâ Tua libe-
ralitate. Uxor mea Tuæ grates agit pro eleganti
munere, sua officia offerenda curavit à me, rogatqs
siqua in re prodesse queat. De Peste Massiliensium
quæ potero colligere, mittam brevi. Vale vir
integerrime, atq amicissime, et me Tuo utere!
Lugd. Bat. 17 6/5 23

Epistola 30ª

Insigni creditori tuo persolvi gravem illam debiti Summam. Tanta verò tuæ liberalitati dudum ipse debeo, ut non absque verecundia recordari queam. Libellos ratione pestis Massiliensis conscriptos incepi colligere, nec multum in his bonæ frugis, quæro cæteros, repertos Simul mittam. Interim magnum haud dabit detrimentum rebus tuis, Si fortè adhuc aliquanto temporis illis careas. Accepi jam ex ipsis Indiis acmellam veram, quam Simul ad te curabo, est optima; curavi, ut legeretur in Insulâ Ceylon ipsa, nec potui, nisi intra biennium tuis votis facere satis: tantum faciendum est itineris, pretio venditur hic carissimo, sed ab ipso Gubernatore accepi. Tu utere ut Summo Lithontriptico in Asia celebrato, approbato in Europa. Drachmam infundunt, cum bullientis aquæ unciis tribus ut The paratur, bibitur infusi dimidium Mane, vacuo ventriculo, altera pars hauritur vesperi una, ante coenam, hora, id Semel in Septimana. Factum mira calculum efficere ajunt. Fac periculum pretium placebit vestris. Acerbissimè dolui casum, qui tristissimus tibi dimidium animæ abstulit tuæ Sic Deo visum. agnosce, ama, venerare, cui debemur nos, et omnia, Solatio tibi Sit, ea omnia præstita fuisse, quæ humana Sapientia valebat, ut Servaret carum adeo pignus, Ita enim Super hisce Sentio. faxit Deus, ut animo tuo Sit gaudium, corpori verò firma Sanitas, ita ut patienter ferre queas, quod nefas fuit corrigere. Scis, nos esse pulvisculos in Manu Jehovæ, qui facit unus sapienter, et potentissimè, omnia, utique hoc meditari Suavissima mihi est mea in vita oblectatio; qui me regi Scio ab illo. qui Infinita ubique Sapientia utitur. Interim haud crediderim ex febre periisse caram tibi Dominam Sed ex vera uteri phlegmone; qui dirus Sane, et ineluctabilis, est Sexui amabili morbus. Ignosce mihi, quæso, Vir amicissime, qui obrutus negotiis neque hactenus potui reperire horas, quas impendam contemplationi fossilium, quæ misisti ultimo. unam quidem aperui, in qua posueras rupem artificiosam donum à tua quodam ad Meam missum. pro quo egit gratias. Vale! Vir optime, me tuo utere! Lugd: Bat: 17 25/7 23.

[margin: quod frangit lapides]

PS. Sanus vigeo: de curro iterum totos dies contemplandis et quærendis plantis intentus. usus Sum ingenti copia mellis, atque Succis recens pressis ex Becabunga, fumaria, Nasturtio aquatico et

ex

ex Taraxaco; ad aliquot uncias quotidie haustis; id egi trium mensium porrecto Spatio. Jam infuso Trifolij aquatici utor.

Epistola 31.ª

Nimiis me laudibus, ô amice, effers! pulchré Scio, quam parum valeam. certus Sum nullius te beneficii debitorem mihi vivere. me veró tibi obstrictum ob tot accepta amiticiæ, immo veró et liberalitatis, munera, pro quibus ut gratias ago maximas, ita quoque, quoties potero, conabor referre. Tu itaque impera; quod á me effectum tibi cupis, curabo Semper Sedulo. Ægerrimé doleo Sortem Tuam! Specto plethoram, diathesin, melancholicam, podagram, Rheumatismum! malorum catervam! uno tamen, credo, forte prosilire; plethora. Hanc augebis missione Sanguinis, atque induces tandem corpori cachexiam. Serio igitur cogitandum de efficaci, neque tamen, ita perturbante, remedio. Fac periculum!

℞. rad. recent. gramin. ℔ j. Bardanæ unc. IV. Stipit. dulcamar unc VJ. minutim Scissas, tusas, coque, Spatio horæ, vase clauso, in vesicá Scilicét destillatoriá; dein has radices contunde succum exprime, aquam, quæ inter decoquendum adscenderat per Serpentem, re affunde Succo et decocto; tantum aquæ adhibe, ut habeas jam decocti ℔ VJ.; has quiete Sola á fecibus Sponte Subsidentibus depura. Serva loco frigido vasis lapideis.

℞. Crystallor. ♀ Rhenani candidissimi unciam integram. contere in pollinem tenuem, divide in V. Dos. æquales. Tum Singulo trimestri Spatio ita age per quinque dies Successivos. mane horâ Sextâ Sume unam dosin ♀, Superbibe uncias IV. decocti tepidi; idem repete horâ 7. 8. 9. 10. ut Sic uno mane unciam ♀ absumas cum unciis XX. decocti, purgabit, non turbabit; diathesin Phlogisticam Sedabit; aperiet viscera; avertet á cerebro; macilentiæ quid conciliabit corpori; faciet, ne misso Sanguine Sit opus. Semel in Mense balneo utere tepido, aquæ dulcis. frictione Spinæ dorsalis et pedum utere quam frequentissimé. Talibus ita convalui, ut liber ambulem per deserta, ad quærendas herbas, plures Sané per horas, quamvis 54. jam annos natus. et multis utique laboribus fractus Sim. utinam et Tibi prosit! me Spes alit.

Haud

Haud temere credideris, qua ego ægrimonia viderim, te, hominem liberum, et tua sponte, alieno iterum arbitrio te comisisse! aulam qui spectasti, atque aulicos, principes qui novisti, horumq; imperia. Mihi ne quid contingeret tale, in extremum fugerem getuliæ angulum. Sed reducere nequit, supra potentis limen semel qui posuit pedem. Sic cecinit Euripides. Sic repetit Ptolemæi intrans liburnicam Pompejus. Tu ergo jam Salomonis monita sequere. Gratia Principis servitus æterna, ira ejus rugitus Leonis est. Cæterum vix à risu tempera, dum sollicitum video aulicum de integritate mentis, et animi religione! vah exeat aulâ, qui vult esse pius. Interim, ut fas, serio omnem rem expendi, qua possum animi acerrima applicatione, liberosque sensus sermone simplicii effero.

Temperatio corporis videtur valde mobile habere nervorum systema, et cerebri; tum et humores laxos quidem, acres tamen, et facile degeneraturos in alcalescens, et oleosum putridum. unde liberaliorem pinguis medullæ usum coërcendum puto, carniumque minus pinguium usum substituendum. potus aqua, et frequentior panis usus, conducere videntur. in morbis enarratis, maximé quidem illo penultimo, aliquid anomali apparet, quod suspiciosi quid infert. Tutus tenui capitur de mensæ cibus. bibitur ex auro venenum! porro acta vita mihi satis placet ad salutis conservationem, excepto pinguiorum usu nimio, nec in hac ætate violenta nimis corporis exercitia laudem, dum interim moderata eadem quam maximé necessaria existimem. In dirigenda cura variolarum longé plus scrupuli hæret: quia morbus hoc titulo intellectus tam miré varius est, ut in aliis quidem casibus longé alia curatio requiratur. Et in ea quidem re curaté cognoscenda unus sané Sydenhamus sufficit, cura, fide, et sapientia ad hoc negotium primus. Cui addere boni quid non valeo, si ex ingenio mali, et ex natura modo, curandæ variolæ essent semper. Tu veró memor es mei narrantis, sæpé in hoc mali genere cogitandum super esse de inerti reddendo stimulo contagioso suscepto, antequam inflammationes, suppurationes, gangrænas, vasculorum in visceribus erosiones, et alia patraverit. Verum si vel verbulum de hac re feceris, exploderis, solus eris; vel si effeceris,

ut

ut consilium valeat, tamen insidiosissimi mali hic semper fere incertus eventus Tibi uni imputabitur. Quid ergo? Si in propria occuparer familia, sic agerem. 1°. Si nunquam laborasset variolis, semper suspicarer has, simulac ullius febriculæ invadentis signa apparerent: maximé, si illæ tunc dominarentur. 2. ubi veró jam sic intento mihi signa apparerent harum, ilicó conarer, incipiens contagium jam susceptum enervare, et in loca minus periculosa pedes, crura, femora, á partibus nobilibus capite, faucibus, thoracis visceribus et abdominis, avertere. 3. Itaque, moderaté tantum vestitum quotidie, in cubiculo satis spatioso, modicé tantum calido, toto die in sella, ad mensam levi quodam lusu, aut inspectu tabularum pictarum, oblectarem ad fallendum tempus; nec concederem decubitum anté sextam vespertinam, nisi gravia mala cogerent, subinde in lecticam parum decumbere, noctu dormiens modicé solum tectus jaceat: 4. Mane horâ septimâ ad octavam balneum aquæ dulcis cum æqua copia lactis dulcis et pauco cum nitro adhiberem, idem hora spatio repetiturus a quinta vespertina in sextam, a balneo molliter crura, et pedes, fricentur panis é lana confectis; tumque semper applicentur pedibus emplastra ex cerato stomachico Galeni et emplastro de meliloto. ana. quæ semper dein dies, noctesque, adhæreant, solo tempore balnei auferenda. 5. potus largus, tepidus, esto ex decocto levi avenæ cum aqua parato, cujus dein partibus quatuor una lactis bubuli recentis non cocti, tempore usus admisceatur. quo plus inde biberit, tanto rectiús. 6. Cibus quater quotidie, sextâ quaque horâ dandus, hic unus esto. avenæ á cortice repurgatæ una uncia incoquat ℔ aquæ puræ tribus, ad consumtionem dimidij, tum liquoris per setaceum trajecti unciis quatuor admisce succi limonij recentis unciæ semissis. syrupi violarum unciæ semissis, panis levissimé tosti unciam unam, vini Rhenani unc. ß. — 7. bibat omni horâ diei, si non dormit, unciam unam calidam hujus decocti. Rx. herbæ scabiosæ recentis, morsus diaboli. ana m. ß. flor. altheæ pug. ß. papav. erratici pug. j. rad. gramin., acetos. pratens., scorzoner., sisari. a unc. j. sem. contusor. lini drach. ij. cum aq. decoct. spatio $\frac{1}{4}$ horæ ℔ iij. depuratis admiss.

admisce Syrupi diacodij unc. j. nitri depurati drach. ß.
Sumatque mane horâ octavâ, vesperi horâ quartâ, unum
de his pulveribus:

℞. flor. ♃. drach. ij. laudani puri ex solo purissimo opio
gran. ij. Stibij diaphoretici non abluti, rite parati, drach. ß.
M. f. p. subtilissimus, divid. in vj. dos. æq.

8. interim et sextâ quaque horâ abluenda facies, et col-
lum, tepidâ hac misturâ iterumque detergenda. ℞. aq.
stillatit. flor. rosar. Sambuci. Scabiosæ ā unc. v. aceti rosacei.
Sambucini. ā unc. ij. Sal. amoniac. drach. j. Sp. vini vulgaris
semel rectificati unc. ß.

atque hæc quidem agenda usque ad initia duodecimæ diei
á primo insultu morbi: post hunc raro periculum. In cœte-
ris consulendus fidissimus Sydenham. maximé quoad usum
Sp. vitrioli in potu ad variolas malignas, et in erosionem va-
sorum tendentes. plura nescio, quæ usui esse queant.
Sunt'ne in Austria horti herbis instructi aut viri in re herba-
ria periti? magnus Clusius adeo multas ibi, et raras, descrip-
sit stirpes, ut valde cuperem aliquid ibi comercij botanici
excolere.

Vale! Lugd. Batav. 17 2/3. 24.

Epistola 32.a

Elapso veneris die, qui 26. hujus, expedivi ad te semi-
na, characteres generum quæ exprimunt, secundum Indi-
cis mei seriem, usque ad Gumnomonospermas, mitto jam
inde ad - - - - - i. sequenti veneris die seriem prosequutu-
rus. Exspecto jam quam avidissimé arbores, quas ad me curasti.
feciq; ut terra, cæteraque parata sint in harum adventum.

Vale! me toto tuo utere! Lugd. Bat. 17 30/1. 25.

Epistola 33.a

Exosculatus sum, quum acciperem. postremas, quas
ad me dedisti, geniumque tuum venerabar. Hæccine amicitia!
quis vidit similem? hæc beneficentia! quis expertus unquam
adeo

adeo liberalem? Superas, amicissime Bassand, mea vota, et occupas! haec ego mecum, dum contemplor Te. ubi verò me respicio, animum meum, impudentiae, atque importunitatis, ne et Sordium dicam, arguo! Ego quippe emendicatis ditesco à Te muneribus, rependo nihil. tibi labores pario, nusquam mercedem Denique et dolorum et defatigationis, et exacerbati podagrae insultus causa Sum. Haec agnosco, haec fateor. Veniam precor! nihil deinceps à te petam, nisi, ut, si quid à me praestari Tibi posse benigne Suspiceris, tuis me mandatis, ambiciosissime rogantem, honores. Hanc mihi legem dixi, Servabo illam Semper, meae dum constabit menti Sua Sanitas. Non si me caesar tolleret ter geminis honoribus, aut auriferorum me ditaret, montium Dominus thesauris, adeo laetarer, quam exspectatis mihi, et omne aurum contra caris magis, arboribus! has digestas, has bene curatas, Spero et crescentes, visitabo, his oblectabo animum delicijs, his exercebo corpus dum per amoena vireta, per arbusta varijs instructa stirpibus, curis vagabor expeditus. Hic absentem alloquar Bassandium meum tantae mihi auctorem, tantae largitorem voluptatis; appensis hic ramis tabulae loquentur tuum inscripta nomen. nomen sylvis meis auspicatum, nomen meis arboribus Sacrum. Miror interim asperitatem Hyemis, gelu, et nives, apud vos: quum hic nihil horam nos infestaverit. Gratulor tibi de horto! Si instruendo illi Sufficere quid potero, en qui faciam. Hodie incipio mittere Semina talium Stirpium, quae notas gentium et familiarum suo in vexillo ostentant. per Sequentem Tabellarium alia, atque ita Successive omnium exspecta generum. Elegi tamen Semper, quae in eodem genere rariores. Tu interim lectis de Austria Spoliis opimis dita agrum, quem colis, atque in eum omnia refer. quaecunque reperire poteris usquam. Eris Sane brevi tepore promus condus clusianus. poterisque ita tibi devincire omnes, ut permutando, quidquid quaesiveris, obtineas ultro. Exercitationem tibi moderatam profore Scio, praecipue autem molles juncturarum fricationes, mane et vesperi, constanter peractas; assuescent sensim deambulationem ferre, eoque ipso se expedient e vincu-

culis arthriticis; dudum est, a quo literas ad Te, et Semina dedi, quæ Epopta Nobilissimorum duorum Equitum exaustri-a, qui hic Juri operati erant danda tibi in se receperat. Spero jam Tibi reddita esse! Vesalius meus brevi te Salutabit bi-nis se efferens in folio voluminibus. Numerus Subscribentium dudum completus; sed tamen ubi evulgabitur, poterit com-parari majori paulo pretio. Græcis operam do edendis. Aretæus jam impressus ante triennium. Sed nondum evul-gatus. In nicandro totus sum. ubi absolutus erit, prodibit sta-tim cum Aretæo simul. Tu eris, qui à me primus illud opus habebis. Illustrissimum Garelli à me Saluta, magnoque viro observantiam meam testare. vellem plura! Sed avocor! Vale! Lugd. Batav. 17 $\frac{26}{1}$ 25.

Epistola 34 ª

Sequuntur iterum sua in serie debita Tibi Semina, præ-nuntia sequuturorum. Scias plantas repentes rato hoc perficere: qua causa reperies deficere quædam. Id vero aliter fieri nequit. utinam hæ incolumem Te atque omni dolore va-cuum inveniant. Vale! amicissime a Tuo Boerhaave. Lugd. Batav. 17 $\frac{2}{2}$ 25.

Epistola 35 ª

Immersus negotiorum gurgiti has mitto festinas: ut Scias, hoc momento mihi gratis traditam esse cistellam cum fruticibus et arboribus a Te datis. En me! volo cum his rus versus: ut vel impatientissimus terræ commendem, servemque non interitura. Spero, Tuæ erga me amicitiæ, et beneficentiæ monumenta. Gratias habeo majores, quam quas verbis ex-primam! Vah animo vix eas complector! Vale! me Tuo utere Boerhaave. Lugd. 17 $\frac{8}{2}$ 25. anno et die Jubilæi tertij nostræ academiæ.

Epistola 36.ª

En tandem ultima, quibus molestias Tibi facesso. Desunt cætera in Spermatophylacio nostro, forte sequenti æstate supplenda, forte et mittenda denuo: neque enim vel optima sata semper germinant; Hæc vero Tu, si manet idem animus. suo notabis tempore, atque significabis mihi, ut legam dein mittamque. Gaudeo quam maxime de valetudine magis prospera, quam perfectam Tibi voveo!

Libros desideratos cum curâ quæram mittam inventos ocyus. Opus Vesalij, binis in folio, et magnis voluminibus erit imcomparabile; cui perpoliendo anxiæ curæ nostræ adhibitæ sunt. Opus ab auctore Anno 1542. editum dicatum fuerat Carolo V. forte hoc jam Invictissimo Carolo VI. quasi renatum inscribi posset: nisi obstaret, quod sit modò refictum, non novum. ut tamen scias quale sit futurum, en hanc Schedulam. Numerus Subscribentium jan ante biennium completus fuit. ita ut tantum emi deinde possit. Tibi destinavi unum ex meis: non ergo opus aliud emere. brevi prodibit. Vale! mi optime. à Tuo HBoerhaave Lugd. Bat. 17 $\frac{8}{2}$ 25.

Epistola 37.ª

Accepio nova à Te munera grata mente, summasque pro iisdem gratias solvo. Pannonica Clusij reperi; et quidem exemplar, in quo propria manu correxit vitia auctor; mittam simul nactus ero quem, qui versus vos tendit. Caryophyllata, fol. Chamedryos interiit. nec semina hactenus dedere stirpes, licet cum cura tractaverim. Ne tamen iterum molestias feras suscepti in Alpes itineris: sané pudet me. quoties recordor. quam caro tibi steterit me tuos inter amicos censuisse. Utinam sanus, atque ab omni dolore immunis vivas! ne unquam suspicare queam excursiones has herbarias nocuisse valetudini. bona fide dixeri. puto, id exercitij genus atque naturales has occupationes profore Tibi, ad expugnandas podagræ radices. Vale! me Tuo dudum ore et mancipio utere.

Lugd. Batov. 17 $\frac{19}{7}$ 25.

Et

Et te quod incidit. misisti an ramulum parvum, cum fructulo villoso quærens, an esset Cneoron Matth: responderam ego præceps. Est enim Amygdalus, Indica; nana Murting. Hist. in folio: unde miror maximè, te hanc reperisse in Austria incultis.

Epistola 38.a

Dudum ita mecum, aut ægrotat, aut amat Bassand: nihil enim ille ad me, nec ad meas. En vero eodem die et Viennenses ex Tuis amicis hic degentes, et Tuæ appellunt literæ. Ille in Secundos te ivisse Thalamos, et quidem Junone favente, miranti mihi narrat, tua verò itinera pro Stirpibus instituta explicant. Haud bene conveniunt. vix morantur in uno. Amor et cultura artium! quid ergò rei est? Sit quæcurque fuerit Sors tibi felix mihi grata! Gratulor publico, et mihi: de integrata Stirpium indagatione; gratias ago pro missis Seminibus, quæ gratissima ilico terræ mandabo. Umbelliferæ sæpè altero a Satu anno demum prodeunt, ut et multæ arbores. Tu defectus nota tuos, ego Supplementa tibi legam, mittamque. Lætor. Te his deliciis capi: Sanitatem corpori, menti dabunt gaudia.
Dentaria major; sive ἄφυλλος Clus. B. C. XX. est anblatum Cordi. Tournefort Coroll. 48. fl. et fr. Tab 481. Locanda in nostro Indice post Hydrophyllon. p. 1. Ind. alt. p. 204. vid. C. B. P. 88. IV. VII. inter Orobanchas. rarissimè Dentariæ de Seminibus Surgunt nisi natalibus locis: quare precor, radices Superstites post Semina perfecta sollicitè eruas, et arenâ Sicca tectas in capsulis ligneis quantocyus transmittendas ad me cures, id Securissimè fit mense octobri inchoante. Idem de pulsatillis, et aliis obtinet. Umbelliferæ Serendæ Statim à maturitate eodem autumno, aut minus prodeunt: quare Semina harum bona fere ilico transmittenda Sunt, ut frugem capiant. Rubi, quos misisti prodeunt; prodit Cneorum Mathioli, et alia. cætera Spem faciunt, ubi viderò Scribam, quæ Sint. Arbores, frutices, Suffrutices, et bulbosas; et umbelliferas, omnium præcipue, nulla aliarum neglecta, quæramus. Vale! mi optime! et

ubi

Epistola 36 a

ubi ultimas meas acceperis, in quibus aliquid de vesobio dixeram tibi uni in aurem, fac cito respondeas! Lugd. Bat. 17 29/25 5.

Epistola 39 a

Lætor ego novis iterum tua industria inventis, atque liberalitatis muneribus. Ex quibus utramque ut disco, ita et exosculor. Ne mireris umbelliferas needum prodire: tarda sunt, multa altero demum à Satu anno germinant; ne pro perditis ergo habeas, neve locum earum diruas, multa prodibunt. Hoc vero ipsis proprium, ut recens carpta Seri illico postulent, maximé, quæ in his gummosa ponunt Semina. Iterum lecta bona recentissima dabo, quo iterum Semines iisdem locis, ita minimo hæc labore facies. Cæterum Satis prodeunt, si digiti Diametro Sub terra frugifera locantur. in Solo aprico. Una tua arbuscula, est, ut rectissimé judicas, vitis Idæa III. clusij, sive mespilus XII. Indicis mei. altera non est Cneorom Matthioli, Sed arbuscula mihi ignota Chamelææ folio. fructu villoso, Sericeo, monoangio, monococco, si recte videre potui. Si florem, fructumque, daretur videre, certiora dicerem. forté inventio ejus tibi debebitur. altera plantula convolvulus quidem est, Sed ex Solo flosculo mihi discernere haud licet quænam Sit ejusdem Species? absinthium umbelliferum, Caryophyllatam alpinam, f. Chamædryos; Saxifragam Pannonicam Clusij; Spondylium maximum Transylvanicum Ricini folio Breynii, Cacaliam quamcunque, /: hæc decies Sata nunquam mihi Succrevit:/ Carduos molles Clusij, Cardaminem alpinam folio asari, trifoliam alpinam Clusij, alpinam Resedæ folio, Buchäschen, Steinäschen, piceam pumilam Clusij. inprimis desidero: quia desunt, neque parare aliunde queo, nisi tu Suffeceris. Ex arboribus, quibus me donasti, multa comprehendunt: quod maximé gaudeo. Incipio earum quasdam cognoscere, de illis adhuc dum dubito. Quædam morientur: quia radice feré carebant. Oro Te! velis curare, ut circa autumnum legant pro me fructus perfecté maturos, bene Sanos, Sicco tempore, ex arboris Sanæ ramo optimo, Sponte Sua fere lapsos, tum excussos, de arboribus omnibus, quas reperis; hi

hi dein in aëre umbroso, ventis perflato, siccati; atque ante octobris finem ad me dati semper mihi dabunt arbores, quæ sic ortæ æque citò pervenient ad proceritatem quam arbores transplantatæ. In Catalogo tibi dato Pannonicarum et Austriacarum notavi omnes, quæ ibidem notavit Clusius. Juvat tum quam maxime, si adscripta fuerint his nomina incolarum vulgaria, et apposita simul folia. Sed, væ mihi, ago contra promissa! satis molestus, onerosus, atque obstrictus, in novos labores impediens invitò! ignosce, quæso Te! Clusij austriaca et Pannonica ubique inquisivi, nec inveni hactenus. Scribendum curavi in varias regiones, maxime antverpiam, ubi invenero, cum aliis ocyus mittam. Vale! amicorum carissime atque me Tuo, libere utere. Lugd. 17 $\frac{20}{6}$ 25.

Epistola 40.a

Felices tibi conjugales precor Deos! Sane Junonem cum Plutone adspirasse nuptiis lætor! qui Phoebus, aut æsculapius tale unquam sistrum tulit? Utinam et Venus, et gratiæ Hymeneis adsint! Sed metuo frigiscula: quid herbarum venator deserta pervagaris, teneræ conjugis immemor, fovemque pluviosum prothalamis genialibus præfers? magisque austeri memoriam Philosophi amas, quam blanditias uxorias? heu non placet! nescio quid suspicer mali: abi, corrige te: quæ corpus Tibi serviens, divitias virtutem adjuvantes, animumque in dotem affert virtute instructum, obsequio, benevolentia, et fide, meretur millies præferri Illi, qui mille Tibi molestias, impensas, et labores dat, proque iis omnibus rependit nihil.
accepi gratus nova nuper munera, seminavi hæc, ut priora ilico.
Quum propositum mihi sit horto meo inserere omnes, quas undique conquiro, arborum, fruticum, suffruticum, et umbelliferarum et bulbosarum plantarum: hinc de singulis arboribus, fruticibusque, bina mihi sufficient; quæ quo minores, eo felicius comprehendunt, quo grandiores, eo difficilius. Sed

quia

quia parvæ vix cognoscuntur: nil solus juvat, quam bona semina, bene matura, sponte jam fere lapsura, ex ramo vege=to sanæ arboris excussa, in aëre umbroso, ventis perflato exsiccata, carpere: nam semina talia sata idonea methodo dant arbores æque citò perfectas, quam si maximas adultas eodem tempore, eidem loco inserueris. Hoc paradoxum verum est, oro itaq. Te, quia jubes, operam des, ut talia mihi semina collecta mittas, addito nomine, et folio, et fructu integro: tum fortè cognoscam. Pini, abies, picea, Juniperi, quas misisti, omnes periere; excepto uno pinastro; picea pumila scilicet clusiana de qua exsultavi: nam crescit optime. abietes rubras habeo, plurimasque pinos natas seminibus elapso anno mihi ex Italiâ missis, et jam optime crescentibus: Etiam possum plantas eas propagare ex ramis. si abscinduntur hi in ligno elapsi anni et tum abscissi fines immerguntur pici calidæ, non fervidæ: tum æque vegeti remanent cum retento suo succo. debet hæc abscissio fieri ad finem Augusti. arbores, si mittes, eligendæ sunt juniores, sanæ, evulsæ cum radicibus, tum rami, et radices, amputantur paululum. Sed abietes, pini, quercus, radice abscissa nihil omninò valent.

De dedicatione Vesalij nihil moliaris: recocta non sunt tanta majestati decora. Sed simile opus haud erit aliud in medicina, hinc inciderat impetus. anblati radicem necdum recepi. amo videre, ut et dentarias omnes: non sunt hic loci. Sollicitè fovebo, nam venales si forent magno redimerem pretio. Vale! ô optime! me Tuo utere. Lugd: Bat: 17 $\frac{29}{6}$ 25.

Epistola 41.ª

En hæc semina, et ea quidem omnia, quæ parare potui. Cætera desunt partim ex imbrium et frigoris violentiâ, quæ æstate novissima dominabatur; partim, quod in agello exiguo hortuli academici haud ita ad frugem perveniunt; denique quod stirpium multæ nunquam dent semina.

Quatuor=

quatuordecim sunt elapsi dies, à quo Vesalium ad te misi per mercatorem, qui Clusium tradidit. Ille Tibi utrumque exemplar absque ulla impensa debet tradere. Descriptionem pini, foliis 2. 3. 5. ex eadem theca, maxime desidero: nam admiror hanc arborem. ad quamnam proceritatem adscendit? quale lignum dat? ubinam reperitur? porro scis, quaenam ex Clusiano Cathalogo, de austriacis arboribus desint: harum Tibi cura sit! quomodo vales mi optime, quid agis? Ego quatuor horas do juventuti accademicae apud nos magis quam unquam numerosae quotidie. obruor dein consultoribus, longe magis literis molestissimis, responsa extorquentibus. Praeter haec Vesalius et Vaillantius dedere quid negotij; sed et Medici Graeci vellunt aurem. ubi despero de laboribus, pedes rus peto, ibi semino, et planto, colo, denique et recolo amicorum, maximè Bassandij mei munera. tibi certè certies hic assurgo. Sed ineptiarum satis! Vale ô optime viri, Deoque semper carus. Lugd. Bat. 17 $\frac{27}{2}$. 26.

Epistola 42.ª

Mitto Tibi, pro prima vice, haec semina nova, selecto; successive omnia expediturus, quae habeo ex iis, quae desideras. Hodie mercator Viennam mittit cum sarcina mercium exemplar Vesalij nostri compactum in duobus Vol: ligatura gallica, charta regia, id Tibi offero. Adest alterum non religatum, charta regia, quod dono offero Marchioni Garelli tamen curavi nomen Ejus inter auctores edendi operis censeri, quia olim scripseras, ita Illustrem virum voluisse: cures ergo, habeat a me hoc reverentiae testimonium. Perpetuum gelu prohibuit me, solvere hactenus sarcinas arborum et fruticum; sed reposui intactas in loco, ubi non gelascit, propediem aperturus et plantaturus. Vale! Lugd. Bat. 17 $\frac{12}{2}$. 26.

Epistola 43.ª

Hei mihi! ut dolui vicem tuam, ubi intellexi, saevitiem

tiem podogræ sprevisse, quod auxilij. opposueras! vis lactis
blanditiæ demulcere, quam superare nefas? probarem,
nisi ætas, consuetudo, temperatio, maximè omnium re=
cordatio tristissimæ quondam melancholiæ obstaret.
forte posses haustu frigidæ ad uncias ternas mane, vacuo
ventriculo ingesta, quotidiano usu, infringere, diriquam
humorum in phlogosin degenerationem; maxime sic
semel, certo die, in mense, interpolares. Usum Tartari
Tartarisati, cujus tu novisti parandi modum, ego sum-
mum ad tenacitatem inflamationis resolvendam
expertus comendo. utinam hoc carum mihi caput levet!
quam serio gauderem! Majo mense autem. et Junio toto,
prima Aurora haurienda graminis, becabungæ, Taraxaci
expressa virtus. Dum lenes interea frictiones semper et
sedulo ad articulorum comissuras instituuntur. Hæc sane
cum victu moderato tentanda prius mihi videntur, quam
via lactea decurrenda: ad quam, ubi cætera frustranea,
tandem denique refugere possumus. Crediderim, Vesalium
meum jam Te salutasse, atque nunciasse, quam sim obstric-
to erga Te, sed et hercle grato, animo, nec per fata mutabili.
Illustri Marchioni Garelli ausus fui offerre exemplum:
quia scripseras, Eximium Virum destinasse sua in
Bibliotheca locum, atque velle lege subscriptionis sibi
comparare, quæ jam dudum ablita erat, priusquam vota
intellexi. Ideo auctoritate mea usus jussi, ornaretur auspica=
tium tabula præclaro Viri nomine. Id, spero, ægre haud feret!
fac, ut nullius rem momenti intesseram meæ in ipsum obser=
vatiæ haud dedignetur accipere! Caroli Sexti Medicus Ar=
chiatrum Quinti Caroli benigne excipiat hospitium quæ=
rentem! Cæterum non alio titulo accipiat, nec nomen inde pu-
tet. De methodo hernias sanandi anglicana audivi nihil
hactenus. difficilior erit, quam prima fronte apparet:
quia caustica rodentia escharam statim in superficie factam
vix deinde penetrant, hinc raro attingunt panniculum adi=
posum. Sed si et hunc infecerint; quid hoc faciet ad impedi=
endum, ne dilatatum in sacculi cæci formam peritonæum
elabi-

elabatur, atque in illud reliqua deberet ergo inustio, suppuratio, et cicatricis callosæ inductio fieri usque ad ansam exterioris musculi abdominis, ipseque ille peritonæi expansi alveus consolidari; aut nihil proficietur. Sed tunc antiqua methodus secandi, separandi ligandi suppurandi cicatricem firmam inducendi, Dionysio liquide descripta, tutior, certiorque habetur; quamvis rejecta dudum ob crudelitatem hac in cura non evitabilem. Vale mi optime. Cnecora Matthioli periere mihi omnia. Leydæ 17 $\frac{st.}{4.}$ 26.

Epistola 44.a

Quod tardiori mora, jucundæ semper mihi literæ tuæ frustrabantur. animum discruciabat dudum mihi: Nescio quid mali accidisse Tibi suspicabar. nunc dolens intelligo, accessisse ad vetus durumque aliud haud minus crudele malum. Ego ad prius illud consilium dederam, quod habebam summum, idque profore credo. at forte simul fundens succorum virtus, simul latentes expulit calculos. Sane et olim hos ita midis suis motos ipse memini. Ideoque succorum tamen usum porro suadeo; quod si dolores à moto calculo urgent, scis aquam, mannam, opium, Clysmata retundere impetum, lubricare vias, adjuvare expulsum. Scis autem, et nimium scire necesse est, pressos abundante pinguedine renes gignendo, alendoque, calculo aptos reddi quam maximé; ergo exercitatione corporis potius, quam alio quocunque caveri remedio. Accepi jam bis literas, veram tristi animo medicinam quas exosculatus, reperi muneribus divites botanicis: Semina perplacent. Crede experto. pini transplantatæ nunquam prehendent; frustraneus ergo labor hic. matura semina selecta, ut monui, sata semper dant arbores: arbores itaque hasce ne cures ad me, sed exsiccata folia, et semina. Lubebit cernere fraxinum lapideam: patietur se transmitti, mense octobri exeunte eruta. Periclymena recta, quæ dedisti vigent satis prospere. Vitis Idææ I, II, Juniperi alpinæ Caryophyllatæ Chamoedryos folio, baccas, et bona semina, sper=

spero ad frugem ducere, si accepero, de plantis ipsis despero, nisi forte, ad finem februarij eructæ, ocyus deferri huc posset. De Cneoris una parva languescens superest, interitum minitans. O quam pulchras reperisti, misistique, ranunculorum species, et umbelliferarum. male meticis, neonerosus sis mittendo: semper boni quid, semper novi quid in est. Ranunculos promissos admirabor: sunt quippe rarissimi. facies quam optime, si arbores tum demum de terra exemeris, ubi vectioni destinas. Sempervirentes arbores ita comparatæ sunt, ut patiantur se transplantati Novembri, et Februario; alia finem octobris amant, modo tunc ilico ab effossione transmittantur, radice levissime tantum musco obvoluta sine terra. umbelliferæ, bulbosæ, Cacaliæ, Dentariæ, divitis austriæ alumnæ, utinam facili labore parari possent! nihil magis mihi apparuit mirabile, quam abies illa pusilla cuminari ovariorum specie: quæso Te, examina, an deprehendere queas indolem ejus, atque incerta in re firmi quid docere. Omnes ego, quas ad me dederas, depegi humi, nulla prodiit; licet omni arte tractaverim: amabam quippe nitidam plantulam, atque solicita cum cura educare frustra anisus sum. Quanam est Conditione hortus tuus, quid ve alit? Et Tu ipse quid facis? Ego à triennio me turbidæ praxi exemi; sed domi consultor pulsat ostia, ut et ita me obtundant. Interim quotidianæ mihi itiones in villam, reditusque, quibus ego, et succis herbarum, tribuo, quod ita sanus degam, nec crudelis tortoris sævitiem sim expertus hactenus. Utinam eadem Tibi, carissime amicorum meorum, Bassandi, sanitas adspiret. Vale ô optime, et me Tuo, ubicunque placuero, utere! Leydæ 17 2/9 26.

Epistola 45^a

Recepi vigesimo sexto Novembris cistam cum plantis et seminibus; statimque recensui, et commisi terræ. fecerat quidem itineris mora, atque humiditas, tum et arcta compressio, ut multa fuerint suffocata et putref=

putrefacta: maxima pars, arborum præcipue et fruticum adeo Sana, ut Spem faciat exspectationi meæ, Itaque rursum erga me beneficentiæ nova dat, post tot alia, monumenta. Si leviori ex ligno cistella compacta fuisset, crebriusque et Majoribus perforata foraminibus, musCoque radices obvolutæ quam Sicissimo, credo tantum calorem non fuisse excitatum in cista. O amice carissime, tu jam tot annis, tot pro me Sumptus effudisti, ego vero rependi nihil! Scias itaque, dolore me, et quotidianis agi irrequietum animum curis, quod tot tantaque, tibi debeam. Si ergo, Super tot benefacta velis hanc mihi benevolentiam præstare, oro, fac Sciam, quantum pro me expenderis in omnibus! ut nomen Solvam gratiis. Revera invenisti, misistique mihi prima vice Cneoron Matthioli: habeo enim exiguam adhuc Superstitem plantulam, quæ floruit; misisti et amygdalum nanam. Pini pentaphylli conos accepi, Semina inveni optima, Seminavi modis, Locisque diversissimis. Spero perventura ad frugem. In conis piceæ pumilæ nil inveni boni Seminis. Coni pinastri pumilionis Semina quidem dedere quæ ilico Seminavi; Sed metuo, ne cassa Sint, ob levitatem. Habent vero ipsæ hæ plantæ id incommodi, quod translatæ nunquam vivant: quod jam dudum expertus loquor.

Quæ de Micheli Florentino Scribis, miratus Sum: novi virum, quo non est alius rei herbariæ peritior; vivit nemo, qui plures Stirpes primus detexit primus incognitas. Hinc Serenissimus Princeps Hetruscus creavit eum Botanicum Suum. Editurus propediem est librum Suum Super his. Pauper cæterum ipse nec digno honoratus Stipendio. Quotannis Solet montes, campos, Sylvas, pervagari, undique quærens plantas in Italia. Fuit et in Germania bis, fuit quoque in Austria, Silesia, &c. à multis annis commercia botanica cum eo colui, Singularia multa ab eo accepi, et possideo; plura promisit mihi ob magna merita Sedulo eum colenti. Sed non mittit, quæ facile, Si vellet, posset, quamvis omni prece et pretio

tio sollicite eum aggressus sim. Si Tu posses, vellesque tentare, quid ab eo impetrare posses; En Tibi Indicem plantarum, quarum bona semina idoneo tempore mittenda petivi jam ante triennium; sed ex iis, quas hic descriptas tenes, nullam accepi hactenus. Cæteras Italas arbores me jam colere in arbusto meo credo. Forte Tua gratia faciet, quod mihi minus tribuit: quia Audet Austriacas stirpes et pannonicas examinare. Vale! mi exoptatissime amice, et ubicunque voles, me tuo utere. Lugduni ad Rhenum. 17 6/12 26.

Index

Quarumdam Plantarum præcedenti Epistolæ adjunctus

Dc: Dc: adjungitur Index

En, Suavissime mi Bassande stirpes, quas industria Micheliana detexit in Italia, aut alibi, et quas vel Latium habet, vel hortus Pisanus: vides inde, quantus ille, qualisque sit in hac nostra arte vir; mea quidem sententia facile Princeps.

Epistola 46.a

Nunquam datur ad Te scribere, quin officium me moneat, ut agam gratias pro acceptis beneficiis; neque desistis sane ita me tuis accumulare donis, ut absque verecundia ad hæc respicere haud liceat. Vincas ergo his pugnare Tibi imparem, en victrici do manus virtuti! Vidi Catalogum Stirpium, quas ex Austria nativas petit Micheli, ut firmet synonymis fidem: præclare id tentat, atque instituto animi generoso, dignusque est, qui à bonis juvetur; nihil quippe ambit vir optimus, quam commoda

da artis promovere, Utinam possem meum facere. prece et pretio. conatus sum. nec queri de Eo fas est. Sed urget me possidentem plurima, majorum fames. Ille posset parare mihi semina, quæ Tibi recitavit charta, quam misi; nec refert, quæ mittat; amor omnium idem, ut vix eligere præcipui quid queam, sed omnia quæram. Ille, dudum est a me ipso tabulam accepit eandem, quam Tibi misi, eadem occasione varia, et lectissimarum plantarum semina illi obtuli, simul qз honorarium pro iis, quæ mihi dederat prius. à Josepho Monti Bononiensi non est quod speres, nihil esus respectu aget Micheli: adhibui Comitem Marsilli, Josephum Monti, Gulielmum Scherard, qui omnes rogaverunt Micheli, neque video illos hactenus ea in re quidquam obtinuisse. Si ergo quid efficies, id utique perficietur permutatione eorum, quæ à Te petit: comitem habet Gieronymo, qui et stirpes cognoscit accurate, et illarum loca natalia.

De venenis difficile est verè disserere: quis eorum in vivis hominibus experimenta, nisi nefaria crudelitate, instituit? quis, nisi his observatis, præsentium effectus deteget? quanto teguntur astu lethiferæ artes, inter arcana aulæ instrumenta semper reposita!" Tutus capitur tenui de mensa cibus, ex auro venenum bibitur. Aulâ exeat, qui vult esse tutus. Optimum crediderim, omnia symptomata observare, iisque obviam ire per remedia idonea, ac si morbi essent singulares. Sed adversus arsenicum, vel Cobalti fuliginem, quæ in descriptis à Te suspicor latere, nihil est auxilii in arte nec sapor nec odor, monet imprudentes, et ex plumbo quoque tabifica fiunt. Verbo dixerim, una salus ad hæc omnia est obstare nulli, dulci saturari quiete, et sumere humi jacentem cibos. Ad sitim, diabeten, marasmum, aqua hordei, mel, acetum, pro potu valent, eadem ad vomitum prosunt et spasmos. forte tentari hæc possent, potissimum, si subinde cal-

cis

cis vivæ infusum filtratum aliquid potatur. sit vero illud ℔. i. bene vivæ, recentis, nullo modo extinctæ, calcis demittendo in aq: optimæ vulgaris ℔. VIII. ubi ebulliit, decoquere spatio ½ horæ, per emporeticam filtrare, unciam unam bis in die, vacuo ventriculo potandam dare. Veneficus homo, fera pessima, neminem magis dente petit horrido, quam illum, quem artes suas eludere videt.

Alumnus Tuus, postquam huc venit compellavit me, dixitque se Parisiis versatum, et excultum in iis, quæ ibidem addisci queunt, jussum à Te, ocyus Leydam peteret, paruisse se, atque venire me à Te salutatum; obtuli auxilij, et consilij, quidquid adferre possem ad promovenda ejus vota, Bonus videtur, modestè admodum vestitus, in meis Scholis privatis et publicis semper præsens, intentissimo semper animo; examinavi, reperi ingenio et doctrinâ anatomica atque Chirurgica, ut Parisiis parari potest instructum satis. Libros non habet, egetsiis quam maximè. Sanè Vesalij, Eustachij, Borelli, Bellini, malpighij, Fernelij, Riverij, Sydenhamij, Foresti, Senerti, Hippocratis, Galeni, paucisque aliis carere nequit. Ego operam dabo, ut prosim, scribas mihi, quæ facta velis, simul moneas, an impensis Principis, an privatis tuis, fruatur: ut ex animi Tui sententia in his agam.

Folia Tiliæ cucullatæ quam sum admiratus! utinam fructus ex ea bene maturos possiderem. Intra paucas septimanas sciam, quid sperandum sit de satis plantatisque arboribus. quando Te ocyus monebo. Vale! me toto Tuo utere! Leydæ 17 27/2. 27.

Epistola 47.a

Amicissime Mihi, et amatissime Bassand Tibi hæc à Tuo Boerhaave

Nunquid evenit res, ut prædixeram! per Monti neutiquam obtinebis quid à Micheli. Hic verò Vir est artis

artis herbariæ ut peritissimus, itaquoque diligentiæ infinitæ simul pauperrimus. In observando accuratus, in distinguendo prudens, in enarrando fidelis, neque adeo temere distinguit, sed recte comperta rerum discrimina adfert. Si Serenissimus Princeps Eugenius, ipsi fortunæ fuit auctor, credo tua gratia Micheli plus faciet, quam ullo alio respectu. Causa, quæ eius excursus retardat est Solicita cura, quam edendo suo Libro impendit promissit vero, ubi hac erit vacuus Sollicitudine, se daturum quærendis fructibus a me desideratis. Quercuum, Ilicum, Suberum, species multas invenit, alibi haud descriptas, quarum bona quidem Semina præ primis abeo optarem idoneo tempore accipere. Curam habebo, ut Jourdainus suus elementa botanica noscat, atque instructus sit ea supellectile libraria, qua ad hanc rem illi opus erit. Sperandum est, inter plantas, quas Princeps Tibi attulit, aliquid fore rari. Saxifragam minorem lychnidem non habeo. ad cambia pro Jordano poteris, si placet, mea ope uti, ut et ad omnia alia; ille mihi et ingeniosus satis et valde diligens videtur; pro cubiculo suo in annum debet florenos Batavos 66. pro cibo et potu qualibet Septimana circiter quinque cum dimidiato vel sex. Dolens intelligo, arthritidis insultu iterum te vexatum! Solatur autem lenitas mitior: utinam integre a diro hoc malo tandem convalescas. an reperis in Austria arbores quasdam, vel frutices, prætervisas Clusio? Si contigerit causam arbusti mei comendatam habeas! Vale! o optime! Leydæ 17 4/4. 27.

Epistola 48.ª

Accepi Cneorum Matthioli dedique operam omni modo, ut prehendat; dolebam nihil literarum adjectum, multumque suspicabar mali, at biduo post liberastissime missis literis una cum gratissimo Seminum arboreorum munere, pro quibus magnas Tibi gratias! utinam Alnus ad frugem

frugem veniant! priores enim Salæ nunquam prodierunt. Vaillantij opus curare conatus sum ex officio amici, ideoque nec curis peperci neque sumptibus, ut exiret amici mei proles comptior, quam unquam ex Typographia regia ullus liber prodiit. Id quippe de Vaillantij et Vesalij operibus vere dici posse putem. Qualem Tibi depinxeram prius, meminisse necesse est, talem re ipsa experiris Micheli; tot hominem tentavi modis, ut movere posse desperem. Misi nuperrime iterum Vaillantij ad illum opus, addidi aureos aliquot; Ille ne verbum hacterius, longe minus semina. Egone vero liberalis unquam erga Te, mi optime Bassand! Totus sum in aere Tuo, neque unquam potero nomen solvere. Nisi liberalitatem appelles impudentiam in accipiendo, quam fateor egregrie me erga Te exercuisse. Morbus pectoris quem me infestasse scripseram, totus superatus fuit sic tu ex puro lacte, atque equitatione quotidiana, ut nihil omnino fecerit reliqui. Sed autumnalis epidemicus, isque malignus satis, multisque fatalis, regionem nostram afflixit, ut omnia ægrorum plena. Nunquam plures curandos habui, licet a praxi dudum me subduxerim; sanatos vidi omnes, emetico, diluentibus, sale polychrestro, radice contrayervæ, et opio, commode usurpatis. Incidi tandem ipse in malum sed longe violentius, quam in aliis videram, ita, ut ipse, et præsentes actum de me putaremus. Sed aliter visum Unico nostro Domino, cui omnis gloria! Resurgenti summum academiæ Decus, et Divinus Poëta, Petrus Burmannus hoc carmen scripsit.

Acerbe doleo mea gratia Te ægrotasse, qui meo capite Tua libens pericula averterem! gaudeo interim de instaurata valetudine, quam Deus incolumem diu servet! Jordanus suo fungi officio sedulo videtur, atque feliciter proficere. quin et parcus apparet: ut sperem, votis responsurum esse. Vale! mi optime, diuque feliciter age! Leydæ 17 $\frac{7}{11}$ 27.

Epistola 49.a

Sint Tibi, quæ sperare fas est, faustissima omnia! mihi simul detur, gratias agere pro tot votis, amicitiæ carissimæ, et benevolentiæ efficacissime signis. gratulor de sanato Principe! at mirari satis nequeo justum atque tenacem propositi animum, quo ausus sis facere in persona splendidissima, quæ non probantur aulæ medicis. Tuæ forte constantiæ, atque sapientiæ uniće debetur Serenissimi Principis salus. Cambium Jordano inscriptum ita, ut jubes, tractabo. Diligens ille, satisque feliciter proficiens, redibit, opinor, votis Tuis respondens et favori Principis. Est hic obstetritiæ artis felicissimus eventu Magister, quem curavi dudum præfici instruendis publicas per lectiones obstetricibus, quod summa cum laude exsequitur. Improbi vero hi homines semper emungunt nummis, quos accipiunt, discipulos. Tentabo, velitne docere Jordanum, sed rictus hiantes metuo platonis clamantis, quærenda pecunia. Ego non invisi magis à longo tempore ægros, nisi paucos amicos. quare illi in clinicis exercendo impar sum; crediderim tamen doctrinam meam adeo facilem, ut intellectu res sit, quam rectissimè illa, quæ ego super his sentio. Morbus hic autumnalis, maxime epidemicus, omnes fere invasit, occidit quam plurimos. Post diuturnos æstus, summasque siccitates. anomala erat febris, vomitu assiduo, dolore capitis summo, phrenitide brevi lethalis, aut quiescere visa mox acriter recrudescens, cum insigni tumore abdominis, vomitu, sequente morte. alij inde languerunt tota hyeme, luridi, pallidi, tumentes. Millenos curaveram, priusquam ipse decumberem: neque enim alias plures ægros sanere coactus fui; tantus erat laborantium numerus. Perspexeram hinc mali genium, putabamque, me immunem fore, quippe qui tota æstate non nisi puro lacte usus eram, et equitatione, ad malum pectoris, quod hisce feliciter superatum fuerat. Sed decimo tertio octobris invasit me, pressitque acrius, quam in aliis

vid.

videram. Scilicet inter tot ægrotantes binos modo mor=
bo hoc sublatos observaveram, unum octuagenario ma=
jorem, alterum juvenem Russum quem jam amentem
et convulsum reperiebam, quando advocatus primo vide=
bam. mihi ergo medicinam feci, ut aliis omnibus. Eme=
ticum hausi prima, altera die cremoris Tartari unciam
sic et tertia die iterum, quarto bina clysmata. toto hoc
tempore decocto simplici hordei cum multo Sambuci
succo, et copioso sale polychresto usus. hac cura repur=
gata habui viscera prima, liberumque caput. sed debi=
litas extrema urgebat atque fere ad syncopen: tum lar=
ge vinum Rhenanum cum citrei succo, saccharo, et pane
tosto usus; et decimo quarto die iterum ter purgatus,
dein post languores convalui cortice peruviano instar
Thè infuso, interdiu sumpto per aliquot dies; unde in=
stauratus surrexi penitus, et videor mihi firmior quam
ante, quum languor a morbo me à munere cohiberet
composui tractatum de lue venerea, qui multum culpabi=
tur à multis; sed, credo, bonam et sinceram doctrinam
continebit. forté non displicebit Tibi, ubi videbis, in pin=
gui solo se figere, hocque putrefacere, malignitatem
hancce; atque hinc non curari nisi oleum infectum
ab ægri corpore separetur. sed legé, atque rescribe,
quid Te docuerit rerum usus in hisce, accipies brevi
Scriptores de lue venerea venetiis editos olim binis
in folio voluminibus, hos hic excudendos denuo cu=
ravi, atque præfationem præfixi quæ dicta habet.
Eodem tempore historiam miri morbi consignavi, quem
in Marchione de Sancto Albano tractavi, sed hanc nondum
evulgavi, ubi fecero, et his te nugis feriam. Micheli
misit mihi ante sex septimanas eadem semina, quæ
Principi Eugenio; atque in literis suis rogabat me,
an non pro me ea peterentur; quum catalogum re=
cepisset eundem illi, quem à me dudum acceperat. nihil
respondi ad hanc rem. fac. hanc inclusam habeat. gaudebit
de plantis, quas illi siccatas mittes; hocque saltem solatii
habebit

habebit infortunatus, qui diligentissime historiam naturalem promovet in loco, ubi nunquam ullus meritis respondet favor. arbores meas sedulo curo, conspicio laetus, ubique generosissimi Rasandi liberalissima munera cernens saepe non absque pudore.

Utor Microscopiis ex Sphaera oculo aequali factis: ut oculos, linguam, labia aegrorum examinem; scis ibi nuda vasa ostendere humores cute non velatos, sed conspicuos, praecipue in oculo, et palpebris. Hae lentes optime tubo includuntur, ne opus sit nimis prope ad partes aegrotantium vultu accedere.



Iisdem in vulneribus, ulceribus, pustulis &c: perspiciendis adhibitis, multa didici, quae proferre nimis longum foret, inprimis cum sponte patescant.

Clarissimus Burmannus, inter Literatos hoc Saeculo Princeps, carmine amicum erga me animum publicé testatus est; cujus exempla in eodem libro mittendo Tibi altera Septimana reperies. Valé! ô optime!
Lugd. Bat. 17 23/1 28.

Epistola 50.a

Ingenuo suffusus pudore has Tibi exaro: quod et debendi me reum agnoscam, nec videam tamen, qui nomen solvere possim! patiaris, ô lenissime, ut partes agam obaeratorum qui solvendo quum non sint, tamen creditores longanimos nugis interim oblatis placare affectant. Sic et ego hae Semina Tibi, non in redhostimentum, sed in pignus grati animi.
Quid agitur horto Tuo? quibus ille nitet stirpibus? habesne aptum, hisque legendis et colendis, et deditum hortulanum? Sane putem multis jam ditescere stirpibus, quas incomparabilis industria Clusii praetervidit. Nunquid arbores quasdam reperisti in fertilissima plantarum austria; aliquosve frutices, necdum descriptos auctoribus? Si tale quid detexeris,
quant.

quanto me honorabis dono, participem si feceris. Ego ex plantis, quas ad me misisti, et de satis seminibus, tantam spem concepi, ut putem pauca me desiere modo, quæ hacce in schedula audax notavi; ut si opportunitas adspiraverit, priora benefacta novis cumules. nescio quid tristis habeat Ledon alpinum, quoties à patria exul omni industria colitur; biennii spatio alui hic, florentem hospiti Sherardo ostendi. vidi exsultantem rari spectaculo venerandum senem, sensi gaudio memet perfusum de specioso arbusti mei ornamento. brevis tamen lætitia: emoritur, licet adaptavissem elatius solum, quod in colliculi exsurgebat altitudinem, atque undique cinxissem plantulis austriacis, inter quas læta degere videbatur. oportet alia nactus alia tentem, ut fugitivam tandem plantam arboreto asseram. Chamæcerasus, fructu cæruleo singulari. C. B. P. Clus. B. 64. etiam apud nos interiit, quam Clusius frequentem ad montes et avincta reperiri inquit. ut et Chamæmespilus Gesneri. careo et Gentianis, quæ apud vos. accipies, opinor, brevi opus de lue Venerea. Vidisti toties varias per regiones infandum hoc malum, sanasti toties: quare obnixè rogatum Te velim, severè examines ea, quæ ego hic in præfatione commentatus sum de indole, sede propria, curatione quoque teterrimi morbi, eo inprimis animo, ut candidè rescribas mihi, si quid ibidem reperias, quod putes repugnare iis, quæ ipse prudens observasti. Scis enim generosa pectora non tantum applausu ignarorum, sed quærere quam studiosissime unde proprios errores corrigant. Tu, ô suavissime, hoc mihi debes, namque potes. addidi huic libro exempla quædam elegantissimi carminis, quod in convalescentis amici gratiam cecinit felicissimus hodiernorum Poëta Petrus Burmannus. Notus ille Tibi erit, qui legisti versus, quibus Serenissimo Eugenio Ovidium inscripsit nuperrime. certe hic loci omnes Musarum sacerdotes carmen illud maximis evehunt laudibus, quod ipsis videatur

tur Heroïco planè Stylo Nestoris et Achillis proprias virtutes. nunquam ab Homero uni tributas Heroi. Eugenio asseruisse uni, ut convenientes, unaqꝫ morantes in animo. Scisne Tu, an Celsissimo Principi opus placuerit ipsum? et quid de eo Sentiat? Relabor. en. ad vetera rursum: habes'ne idoneum apud vos. Sed re angusta, hominem, qui parvo Stipendio quærere vellet Stirpes vestras inquilinas? forte posses alterum Micheli creare, quo jam Hetrusca aula, Sed ingrata, Superbit, quique unus tot adjecit arti divitias. Cogita de hac re, Generosissimus Princeps facile inveniet aptum, aut faciet; atque leve Stipendium assignare posset in aula, titulo Cæsarei venatoris, vel Rhizotomi, vel hortulani. Vide quandiu tecum agam; Sed colloqui videor Tecum, dum Scribo. Tu si me amas, fac sciam quodnam grati hic Tibi efficere queam. Vale. Leydæ 17 24/2. 28.

Epistola 51.a

Quod honorificè de me non modo apud alios, Sed coram Cæsare ipso, volueris et Principibus viris loqui; tribuo amicitiæ illi, qua me dignaris quam benignissime, et in qua certe omnem excedis modum. Utinam haberem in consultorum Solatium aliquid ejus, quod in me laudas! Sed nimis conscius tenuitatis omne id, quod extollis Tuæ imputo benevolentiæ, Gratulor Tibi de Servato Principe et honorario! Gaudeo, Te Succurrisse votis Micheli! quod verò ipse tanti laboris caussam præbui Seriò doleo! utique fas erit Tibi ab eo jure petere, ut legat, mittatque, Sinceros, maturos, ab insectis immunes, fructus illarum inprimis arborum, quarum Catalogum exhibui; ea tamen lege, ut immersione in aquam bonos prius exploraverit. id facilè potest; ut et omnium umbelliferarum, quas Italia alit. Id facias pro me, oro, flagito! Librum de lue venerea expedivi ad Te 26. februarij per eundem mercatorem, qui priores curavit; Sed pro vectigali nihil quidquam debes

bes: hic solutum onus. Ego Tibi nomen debeo nunquam solvendum, totus obaeratus; nec rependi nisi nugas, ubi Tu animo Regio effudisti tot pro me impensas, ut ut absque rubore et verecundia nec conspicere, nec recordari queam: quare Scias, levem mihi Somnum quandoque adimi cogitanti, quot, et quanta Tibi debeam. Microscopia paranda curabo optima, idonea mittam.

In libro Domino van Deventer plus boni in arte obstetricia, quam in omnibus alijs auctoribus simul. Eques Hamilton clarus aulae Britannicae elogiis, Ipse ante quindecim annos mihi fassus est: Unde belgicum Scriptum ingens hic artifex propria manu anglice vertit in usum Suae gentis. Res haec est. Matrix corpus mobile in pelvi, vel abdomine, foetu gravida, saepe Situm mutat naturalem: ut os ejus aperturam Suam antrorsum, retrorsum, vel ad alterutrum latus deflectat. Tunc foetus educi naturaliter non potest, ut Sponte capis. Hanc repent causam omnium creberrimam mali partus; Hanc Suspicari vel corrigere nemo unquam docuit. Ille absolutissime perfecit. non video, Jordanum artem a quocunque demum artifice doceri posse: opus est coecum, ipsi magistri rei fundum haud intelligunt, male docent, nummis discipulos emungunt. Si legerit Mauricaeum et van Deventer, plus Sciet aliis, Si pauperes foeminas primo apud vos juverit, Satis inclarescet. faciam, quod potero, ut instructus redeat; diligens Satis, et intelligens est, placebit Maecenati Illustrissimo Suo. Vale! o Suavissime! Semperque beato me mandatis Tuis, que caeteris fortunis praefero! Leydae 17 $\frac{8}{3}$ 28.

Epistola 52^a^

Effeci, ut insignis artifex obstetricandi Dionysius Jordanum in disciplinam acceperit, perficiendum Susceperit, pro qua re Illi promisi centum et triginta

flor.

florenos Batavos. Intelliget verò quidquid ad hanc Scientiam pertinet. curabis nummos.

Juvenem hic trivialibus committere peregrinum non caret magnis difficultatibus; neque crediderim infra quingentos quot annis florenos constiturum: quia victus apud Rectorem, Minervál, libri, Suppellex, magno satis constant.

pretium [illegible] [illegible]

Microscopia die hesterno hinc Viennem deferenda ad Te curavi per eundem hominem, á quo te auctores de Lue venereâ accepisse spero.

Emersêre aliquot Larices Tyrolenses, foliis de una theca singulis binis, ternis, quaternis, quinis: curabo omni modo, ut retinere queam daturus operam, nec opus crediderim novis. nihil magis miror, quàm de omnibus alnis alpinis austriacis missis, ne unam quidem vivere superstitem, neque de tot seminibus satis nec ullam prodiisse.

Utinam in itinere suscipiendo occurrant stirpes arboreæ novæ! dulce est videre tot diversos uno in horto arbores, ut vel jam apud me coluntur. Sed quo plures possidentur, eo cupiuntur, plures. Ilices, maxime verò quibus cortex suber dat necdum habeo, facile tamen ex glandibus bonis seminandas; si ergo Suber invenies, quæso, memor esto, Tum Tiliæ cucullato folio, et alius Tiliæ Bohemicæ folio maximo; ——— Cotonastri Gesneri, anonymi flore Coluteæ, quæ interiêrunt. Vale mi optime. Leydæ 17 25/5 28

Index.

Quarundam platarum præcedenti Epistolæ adjunctos.

Chamæcerasus. Clus. H. 64.
Chamægenista. I. Clus. H. 108.
Chamæmespilus Gesneri. Cotonaster Gesneri. Clus.
Cneoron Matthioli.
Genista radiata. J. B.
Juniperus, alpina Clus. H. 38.
Ledon. alpinum. Clus. H. 81.
Ledi alpini genus alterum. Clus. H. 82.

Lar.

Larix Tyrolensis, foliis binis, ternis, quaternis, etc. una theca.
Pinaster, iij; austriacus. Clus. H. 31. 32. qui Pinaster; tenui folius; pilo purpurascente. Clus. Pannon.
Tilia; Bohemica; foliis cucullatis.
Tataria; Hungarica. Clus.
Saxifragia; Pannonica. Clus.
Selinum; montanum; pumilum. Clus. H. Spina infectoria pumila. Clus. I. et II. hist. III. Gentiana Species.
Melissa pyrenaica caule brevi; plantaginis folio. T.

Epistola 53.a

Accepi literas, semina, et cambium; pro prioribus, gratias, curabo ultimum ita, ut jussisti. Jordanus summa cum diligentia sua studia excolit, feliciterque proficit in his, omnia sané, quæ obstetricia spectant, jam ferè absolvit; botanica quoque satis bené intelligit; quare credo, illum Septembris initio redire posse pro ritum rerum suarum, gratum suo Principi; Scribis, Te meo in ære esse; ego veró nulli mortalium plus, quam Tibi uni, debeo; neque unquam absque maxima verecundia Tui memorssum. Da itaque obsecranti opportunitatem, ut nomen meum solvam; nec pete a me, quid mihi debeas; dic potiùs, quomodó erga Te obærationem mea solvere me possim.

Spero, Micheli statuarum promissis! Sed multa non expecto: Princeps ejus misero homini vix panem sufficit, periti veró Botanici ibidem invidia magis, quam cura erga eum, aguntur: hinc non valet, quæ vellet. Ea bonorum sors, dum in pueros, scorta, adulatores, profunduntur principum largitiones. Nobis suave est speculari in horto, Tuique benefacta recensere; si tamen, quod sedulò vitabo, Principibus uterer familiariter, incitarem hos ad scientiam historiæ naturalis pro-

promovendum, ut bonus Clusius Maximilianum, alexandrum aristoteles. Tu, mi optime, vale, et utere agrimonia betonica, milissa, infusis ad instaurandos articulos debiles! Scribe autem mihi sæpe! Optimus Sherardus, animæ dimidium meæ marasmo Senili extabescit, quem amissum vivus lugebo. Leydæ 17 $\frac{18}{6}$ 28.

Epistola 54.ª

Tuas una cum Michelianis accepi et Semina. Ilicem nec habeo, nec vidi alias, cujus floridum dedisti ramulum: quare obsecro, cures ejus Semina matura legenda, ut et omnium aliarum tam Ilicum, quàm Suberum, Species, quas ibi reperies. Si verò Cypressi cujuscunque matura Semina et bona mittere queas lecta in regionibus Stiriacis, quam maximè gauderem: quia vellem ex iis ingentem conserere Sepem Semper virentem, quæ autem hic nascuntur, non maturescunt Semina; in primis quidem Cypressi ramis expansis desidero ritè maturos Fructus, ut et Cerri fructu majore. Orobus, quem Tibi Suppeditavit Rhizotomus Tuus, est Nissolia Tournefortij, Sive Lathyrus dicta Nissolia. Vid. Ind. ad hunc titulum. Chamægenista II. Clusij genuina videtur. Mikeli pergit promittere. Utinam præstet! unicus Sane est, qui, si velit, possit. Tu priusquàm mittas nova, petes ab eo Tua promittens mittere cætera, posteaquam ab eo acceperis desiderata Tibi. Genius aliter cæsalpinorum in eo, quodsipe, qui Transalpinas parum curant. De notis, quas Scribit in Stirpium, quas illi donasti, nomina, nihil habeo, quod dicam. Est Pisæ Collegium Botanicorum, qui examinant, quidquid eo mittitur, ab hisce crediderim profecta, quæ ad me dedisti, judicant ex Speciminibus Siccis. opponere Te horum Sententiæ caveas: irritantur facile. gratus agnoscas horum laudata decreta, quæ Sæpè Satis ficta Sunt, neque enim aliud quid agunt in otio molli viventes.

Jord.

Jordanus se dat egregium in botaniciis chirurgicis, medicis, obstetriciis; habebis singularem certè artificem, qui sedulò didicit, profecit felicissimè. redibit circa Septembris initia idoneus Principi suo alumnus. Vale arbusti mei memor! Leydæ 17 16/7 28

Epistola 55^a

Viro Claro et Nobili Bassand

Boerhaave.

Accepi fossilia, quæ ad me curasti per Chirurgum. Elegantia sunt. pro iis gratias ago summas.

Medicus ille aquisgranensis, ex nugis fecit seria. Sic solent. Stipites Paragoay quondam summo in usu, dum maceratis in aqua potus fiebat, qui leniter expurgabat vomitu ventriculum. Sed dudum est, quod tam rarò usurpentur, ut olim frequentissimè.

folia acmellæ ex Ceylon advehuntur, ubi nascuntur. Herba est proximè referenda ad Bidentem Cæsalpini vel Tournefortij. Laudatur, à virtute Lithontriptica. usurpantur folia instar Thé, usu, et dosi. Longè minus virtutis habent, quam jactatur.

Radix Nin-Zeng Chinensium, vel Ginzeng, vel Nisi Japonensium, est jam ultimum, quod præbetur divitibus ad cardiacas, anthistericas, antepilepticas affectiones. Tanti fit in Asiâ, Chinâ, Japoniâ, Tartariâ, ut vitam longam, foecundam, sanam, utentibus promittant. Exploravi in variis, quid habet res^c. vanam jactantiam, præterea nihil. Videtur mihi odor, sapor, natura, virtus, exquisitè referre radices foeniculi vulgaris. Pro unciâ una vera radiciis solvuntur floreni 25. vel 30. Batavæ monetæ. Principibus datur ʒß infusa aquæ, vino, vel simili liquori, vacuo ventriculo. placet pretium. magis illa juvant, quæ emuntur pluris

et

et divites ita in anes dimittuntur.
Radix Mongi, est remedium nobile reverâ, sed rarissimum. —
Nascitur in Ceylon. venenatos morsus animalium curat ad miraculum usque, vi sua penetrante validâ. Faba Ignatij species veneni est amarissimi proximè accedens ad nucem vomicam. Jesuitæ nomen dedere à suo Heroë, vendebatur olim caro hic pretio, nunc vili. arcana revelata vilescunt. Centaurium minus. tutius, atque in eosdem usus longè efficatius. Pareira Brava, est radix Bryoniæ ex Americâ; parum efficit, multum laudatur. Cur? rara est. et commendatur à medicis nugacibus, qui arte vacui, semper quærunt quid, quo dato ultimum fecisse, nihilque omisisse, videantur; sed scis sic in aulis semper obtinere: loquendum cum vulgo cum sapientibus sentiendum à nunquam sum difficilis, quin talia adhibeantur, modo non noceant.
Ego puto
Pro Radice Ninzin, radicem fœniculi.
pro paragoay, ypecacuanham.
pro acmellam, agrimoniam et Betonicam.
pro Mongi, Rutam.
pro faba Ignatij, Centaurium minus.
pro parerâ Bravâ. Radicem aristolochiæ, commode —
substitui posse.
Curabo ut ocyus optima omnium specimina habeas. ut, si cogeris, uti queas, et venditare pro horribilibus artis secretis. Vale! Lugd. Bat. 17 24/6 28.

Epistola 56.ª

Accipio vel hoc momento literas cum seminibus gratis ad me altera jam vice datis; pro quibus summas iterum gratias! quid verò nitidius alno pumila Shekelensi videri potest? quid gratius mihi quam videre alni tot: glutinosæ viridis folia? ut et fagi nigrioris! utinam recte matura semina illarum darentur? —
Herbipoli elapso anno à clarissimo Beeringer ac-

cep.

ceperam Semina Fagi nigerrimæ revera colore. Sed Sata non prodiere. Princeps verò Hassiæ si rectè memini horto amstelodamensi donavit. quam obstupescens vidi, Fagum atramento pugnantem nigritudine; quæ itaque alia sunt ab hac Tua! Suberum, Ilicum, Cypressorum. bona semina fortè et ibi reperies.

Magno animo, fortique aggressus victum ex lacte eo felix sis, opto! si sustinere poteris, rectè erit nihil equidem mali inde præsagio, ni forte nimis inde pinguescas jam olim, si recordor obesulus. quare crediderim pro potu, præter victum lacteum, hydrogala ex binis aquæ ad lactis unam propinandum, maximè urgente siti; et quartâ decima die ex manna purgans mane vesperi eo die diacodiatum hauriendum; corpusque interea equitatione roborandum quotidie, post peractam digestionem, ante cœnam et prandium. Vale! et scribe, oro Te, qui cedat hic vivendi modus. Leydæ 17 $\frac{19}{7}$ 28.

Epistola 57a

Videtur mihi, considerato morbo, quod usu vitæ liberioris, ex nocturnis fatigationibus, vigiliis æstu, frigore, victu opimo, vinis generosis — Spiritibus vini, denique immoderata dosi salis volatilis, omnes humores acres nervi verò debito siciores, evaserint: utraque tandem de causa concurrente, atque accedente animi perturbatione magna, incensum esse morbum, qui jam fere irradicatus, et veluti naturalis factus, quam maxima minitatur nervis mala, difficillimus curatu; malo huic

magno

magno Satis, funesto accessit augurio uteri, per acerrimum Sanguinem aggestum in graviditate, inflammatio, vasorum corruptio, Sanguinis jactura. acerrima rursum exhibita ex vino Toccaviense, Spiritu Salis, Succo millipedum, auro fulminante [: quod veneni fere vi agit, ut lapis infernalis auri:] effecere, ut credam, invalidum evasisse corpus ad conficiendum ex victu Sanguinem, Sed ingesta Sponte corrumpi in corpore in ichoras Semiputridos, deficere vitæ vires, repleri crudis corpus, nec Spem Super-esse, ut viscera instaurari queant. Hæc ego, nec alia, de aitiologia, diagnosi, prognosi. Vides, ô amicissime, quam periculosæ plenum aleæ opus æstimem, curationem ægræ ita aggredi, ut in Sanationem eat; dumque acerrimâ cum curâ rem revolvo, vix reperio firmi quid, Suadere ut possim: omne, quod ope humana tentari queat, in hisce ponerem.

1. in Sublimi ædium parte, vulturno exposita, inter lignea tabulata, mansionem consulerem.

2. Lectum stragula, lodices, vestes, Semper Siccissima et calidissima, curarem apponenda corpori, quoties Se vestibus induent, vel cubitum ibit.


3. Aër Semper Siccus, modice tepens, in conclavi Sustineatur; Subinde incensu Benzoini, Mastiches, olibani, Succini, paulo agilior redditus.

4. Potus esto ex quatuor aquæ, una optimi mosellani, partibus, quibus pauxillum Succi aurantiorum Ulyssiponensium [: pommes de Sina :] permistum Sit; addito Sacchari, vel Syrupi violacei, tantillo: Sed de hoc potu bibat parum Simul, nec nisi ut Sitim leniat. aqua foret optima Pouhontiana Spadana, vel Swalbacena, aut Si Similem virtute habes in vicinia, quæ vino miscenda.

5. Cibus vero ex meraco carnium jure, vel assis carnibus, piscibusque fluviatilibus imprimis esto; tum hordeum, avena milium oryza ad Spissationem densam cocta. Condimenta ex

Sinapi, raphano rusticano, Similibusque peti poterint

6. Si aqua copiosa certissimè scitur in cavo abdomine, quod pondus ad stateram fidissime docet, Sique cætera haud repugnent, paracentesis tentari poterit ope instrumenti triquetri hoc modo:



fiant ex forti linteo, vel ex corio, aliquod cingula lata per fibulam ductilia, et adstringenda, pro lubitu. His cingendum totum corpus abdominis à costis infimis, usque ad hypogastria et pubem, fiat paracentesis, constricto prius per hæc cingula abdomine; pro copia expressæ aquæ assiduo inter effluendum adducantur per Suas fibulas cingula, quo ita vasa, et viscera, abdominalia tantum perpetuo constringantur adductis cingulis, ut eductâ aquâ æquè comprimantur, quam ab aqua ante eductionem; Sic una ex haurire fas est omnem aquam, neque opus Sævitiem vulnerum toties repetere: ut liquido intelligis. paracentesi peractâ constrictio abdominis continuanda, donec Sensim Securè paululum remitti patitur, et Sensim Solvi potest.

7. Laudabo maxime veterum ægyptiorum methodum ad eliciendas aquas absque corporis perturbatione, Scilicet, ut ad utraque crura bina vel terna epispastica de Cantharidibus aplicentur, cuticulam aperiant, teneantur diù aperta, ut aqua libere exstillare queat; unde illæso Sanguine et visceribus natura Se ab aqua liberat; quum purgantia nec certo agant id, et omnes actiones quam maximè lædunt. Si loco cantaridum, caustico potentiali dicto, vel et actuali, ulcera in uris cruribus, tanto melius: quoniam magis stillant. Has methodos optimas commendo.

8. Pro medicamentis, hoc casu, acidula balsamica antiseptica laudo: itaque deglutiat omni hora 7. 8. 9. 10. 11, antemeridiana pillulas iii A, Superbibens unciam potionis B, idque in Spatium mensis.

9. Vectione, frictione, motu, corpus exercendum, quo plus, eo rectius.

A.	B.
℞. amoniac. gum̄. drach. i.	℞. aq. Stillat. baccar Junip.
Bulb. recent. ari drach. iß.	cohobatæ — — ℔ ij.
opopanac.	rob. baccar. Junipi unc. VI.
Terebinthinæ. a a drach. ß.	Sp. Juniperi cohobati Unc. IV.
Mspil. gran. iij.	— Nitri dulcis. Unc. I.
	Sal. polychresti Unc. I.

M

Vale, mi optime, méque Tuo utere, fruere! Leydæ 17 17/9. 28.

Epistola. 58a.

Viro Claro, et Nobili,
Joanni Baptistæ Bassand
H Boerhaave.

En reddo Tibi, quem curæ meæ, atque disciplinæ, commendatum voluisti Jordanum: in eo perficiendo, quod potui, egi; neque illi diligentia defuit, nec vero felicitas, ut iddisceret fideliter, quod mea tenuitas docere potuit. utique omnia bona de eo prævidere fas est; quare Spero illum responsurum generoso proposito, quo fortunam illi parare Studuisti. Ipse explores, ut per Temet cognoscas, quem Tibi laudo.
Qui vales? prodéstne Tibi et fertur victus ex lacte? Utinam liberum præstet à doloribus! faciatque, Tibi vivere ut possis! Ego rectè valeo, nec desidia, nec luxus, corrumpit Semper laboriosum, quo Statu arbustum meum Sit utque superbiat Tuis muneribus, ex ore reducis amici Tui addiscés. Illa mea dulcis insania, quam amici ut forzant molestus urgeo. O Si Micheli Tibi daret, et mihi, quæ potest! nemo Sane tali aptior negotio vivit, quem si facta tollant, nunquam invenient parem; habet votorum Summam

meorum in illo catalogo quem ut mittere auderem Tibi Tua effecit bonitas. Arborum et fruticum in Austria et Bohemia fructus, auspiciis Tuis lecta Jordanus ait se velle legere. et poterit quam optime, quoniam Systema Botanicum pulcherrime intelligit, inque dignoscendis stirpibus satis versatus. Spero, industria hujus viri detectum iri multas ubique stirpes, quæ latent hactenus. Amisit hisce diebus orbis literatus maximum ornamentum Guiliełmum Sherardum, in quo sapientia vera, et solidæ mentis inconcussa virtus, templum suum erexerant; ego jacturam feci amici, cujus sanctam colet memoriam mens mea grata, quam diù constabit illi illibata sanitas. Deo quod placuit, nobis haud displiceat! aliter durus esset casus mihi, quem nec patientia faceret leviorem. Tu, ô amicissime, vive, vale, et feliciter age! Leydæ 17 1/9. 28.

Sequuntur Semina.

Epistola 59a.

Tanta Tuorum erga me benefactorum est magnitudo, ut ne animo quidem illa amplecti queam: Silebo igitur ad hæc, quum nec verbis agere gratias queam, nec referre valeam re. In villa mea, cujus conditionem Jordanus narraverit Tibi, ubique crescunt amoris Tui in me, et beneficentiæ, pignora, quæ laboribus lassus quotidie contemplans Tecum confabulari videor mihi, munera hæc Tua iis, qui ad me invisunt gratus deprædico. Vivito felix, amicorum optime, dumque superstites Deo paremus me Tuo utere ubicunque placebo. Arbor, cujus Clypeo similia semina de Stiria misisti, est Paliurus veterum, sive Spina Christi, unde nexam capiti coronam insultantes imposuisse creduntur Judæi et Romani. Baccatum Monostelechyn fruticulum haud ita certo ex specimine misso dignosco; Videtur casia Poëtica Lobelij. Planta missa pro Saxifraga, de qua quæris, est Oreoselinum majus. Tournef. Sed elegantius per argutas

foliorum

foliorum pinnulas. Cæteras Saxifragæ Species, ubi prodierint, examinabo, atque rescribam, si quid cognovero. Si aliquod extremos ramulos, calamum Scriptorium crassos, semidigitum longos, recens abscissos, ad infimam abscissionis plagam pici et ceræ ana permistis et non plusquam lepidis superiori gemma prorsus illæsis, de Tilia cucullata miseris; haud dubito, quin inoculatione, vel insitione, arborem citius habere queam. pars. A. B. C. immergitur tepefacto lenissime misto; ut vulnus A. B. C. sit obductum. gemma D. debet esse illæsa, tunc transmitti possunt tuto.



avidissime ardeo scire quid Micheli agat? an quid miserit? dolendum est, nullis argumentis hominem moveri, cui tantum otii superest, tantaque in re herbaria facultas. Jordanum experieris quam versatissimum in arte sua: utinam generoso respondeat voto Tuo.
Sed heus Tu, quid audio? an filiam habes? sane nescivi. Si ita sit, faxit Deus inde quod sperari possit videas! Vale! mi Carissime Bassandi Leydæ. 17 $\frac{5}{11}$ 28.

Epistola 60ª.

Quum illustris hic Comes, qui Sapientia et Virtute inclytus, Viennam petens, se offerret, mitto Tibi has, salutandi gratiâ; utque simul amicorum officiorum oblationem integrem. Botanices et Chemiæ, professionem, una cum stipendiis, quæ mihi tribuebant, posui sponte. Ea oportunitate hunc habui Sermonem, inquo agnovi publice, quid in re herbaria benefactorum largitoribus deberem. Principem ad debitum hercle, locum ibi oblinuisti. Nihil me in hac oratione acrius incendit, quam ubi absentem alloquebar: id et

auditores animadvertisse ajunt. Sed, o optime amicorum, haud inveniebam aliam occasionem testandi gratum animum. Si quid in umbelliferis, arboribus, fruticibusque, pulsatillis, cacaliis, aut raphanistris inveneris, semina desiderabo. Tilia cucullata non prehendit hyemem passa. Cotonastrum forte Gesneri nondum habeo.
Vale o amatissime, diu felix, meque ex asse Tuum amare pergito. Leydae 17 24/6 29.
Quid Jordanus molitur? Salutatum à me quam officiosissime velis.

Epistola. 61^a.

Literas XXVII octobris ad me datas una cum cambio accepi; persolvi ilico, quod debebatur. Cheirographa recepi; Cistam cum libris expedivi Norimbergam ad D. Jeremiam Hoffmann mercatorem, ad Te ut dirigat porro Viennam. Vectigal usque ad Noribergam ipse hic dedi. addidi opera omnia D. van Deventer sic ut ipse edidit, et exemplum Pinacis Bauhiniani una cum prodromo: haec, quaeso, accipias ex cista Tibi destinata. Si quid aliud praestare potero Tibi, fac sciam, curabo sedulo; et gaudebo. Vale cum Tuis! Leydae 17 3/12 28.
Distuli has mittere, donec mercator fecisset me certum de cistella jam dimissa. post accepi Tuas datas 22. Xbr. ex quibus intelligo surculos Tiliae cucullatae missos, hos vero urente gelu perditos fore metuo. Tibi interim summas grates. Vale! 17 15/1 29.

Epistola. 62^a.

O factum bene, beâsti me, metuebam, ne quid mali passus esses! neque ausus fui scribere, dum omnia tuta timeo. Quam serio gaudeo recte Te valere, podagra ferè immunem neque expulisse salutarem tertianam: quae Tibi commissa

et rite gubernata, Saluberrima habetur adversus podagrica, et hypochondriaca, medicina. o Si memores forent mortales antiquissimi observati, febres molimina naturæ humanæ, quibus Semet expediat ab hospitante intus malo nunquam Supprimendas igitur, Sed moderandas tantum Sapienti directione in usus a natura affectatos. Gratus accepi munera, quibus me honoras, herbaria. Posui publice nuper munus botanicum et Chemicum, fessus laboribus; Medicum retinui hactenus. Ea occasione publicum habui in academia sermonem, ubi gratias Tibi debitas persolvi Solenniter de Suggestu academico. Quum deinde, ante Sex Septimanas, huic, ubi Studiis operam gnaviter dedit, Viennam iret Comes Hispanus, recepit literas, et exempla Orationis illius Tibi à me data. Hortus meus Bassandianis Superbus muneribus, hospitibus ostentat Tuam liberalitatem: Tilia; Bohemica; folio amplissimo. Tilia; Bohemica; folio cucullato. Cotonaster forte Gesneri. Cerrus; glande echinata, majore Suberum omnes Species, me destituunt - - - - - - - - - - - - - - - - - -

Quia, quæ Tu misisti, non Succrevère, nec quæ à Michelio bene accepta dederas mihi. Cætera autem, quæ Michelius miserat, Semina Satis bene prodierunt. Vale, ô Suavissime Bassande, et me toto Tuo, ictere. Leydæ 17 $\frac{26}{8}$ 29

Epistola 63ª

Vivis ergo, et recte vales! gaudeo hercle, Tibique, mihique eâ de re gratulor! utinam hanc prosperitatem diu integram Deus præstet! nescivi ubinam terrarum in angulo lateres, Sed in celebritate versari Te, lætus accepi ab egregio Marcio. Sane non respondisti amicitiæ nostræ, qui tanta in Solicitudine tamdiu angi amicum passus, a discessu Vienna nihil quidpiam Scripsisti. facias Oro Te, Sciam quid agas? quæ Tibi vivendi conditio? qui valeas? an uxori bene sit! et caræ filiæ? nos recte valemus. Speraveram otium post resignata munera. at quanta Spe excidi!

fuit laboris mutatio: tot undique ingratis obruor literis; sed à Te, sola grata futura, nulla. amisi summum carissimumque meum Ruyschium, cujus imis, reconditam pectoris recessibus imaginem servo. Reliquit integrum Musaeum anatomicum, et rerum naturalium, omni pretio majus. Venale cum jam sit, utinam emptorem inveniret Principem quendam! nunquam tale fuit, erit nunquam. Rex Poloniae videbatur de ea re cogitare, sed abstitit postea; quia alia quaedam redemerat. Jordanus nuper Mediolano me consuluit pro Principe Lichtensteinio. Rescripsi. Speraveram illum mihi seminum quid missurum fuisse de arboribus, fruticibus, aut umbelliferis! Sed nihil quidquam unquam misit, quamvis ex Bohemia Italia, aliisque locis, forte potuisset; si ipsi mea stultitia tantum cordi fuisset, quam mihi illius doctrina. Si aulae splendor Tibi oculos hebetat; velis aliena manu tria mihi verba! Vale, ô optime! Leydae. 17 19/4. 31.

Epistola 64.a Baroni Bassando

Gaudio, Te valere rectius! utinam ocyus perfecta fruaris sanitate! cui quidem instaurando quies proderit inprimis qua poteris uti: quum ventus necdum spirat ab Euro, neque forte adeo cito illo de angulo Coeli exspectatur, hac imprimis anni tempestate. Librum de Chemia mitto Tibi nondum evulgatum, eumque offero magnae exiguum amicitiae signum. Tu eo utere, fruere. Quando exemplaria Britannis destinata praesto erunt, mittam cum literis: ut aditum pariam ad Viros claros. Malum meum pejus haud est, sed lento tendit gradu in melius. Miscui balsamum a Te laudatum digestivo priori, sicque applicui, eventu bono satis; interim et foveo medicata aqua, quae juvat quam plurimum. Vere sentis, vasa arcta, pingui membrana carentia, lenta ariditate. obstare humectae mollique vasculorum extensioni, hinc tardare mortui separationem, viventisque

Supplementa

Supplementa. Quid vero aliud à cicatrice Semiseculum vetusta exspectari poterat? Credo interim Sensim Sanatum iri, inprimis quum Sequar Sapiens, et fidele consilium, quo me juvas. Gemmas fictitias recepi, vidi, molles Sunt; quum vero nulli usui queant esse mihi manicas non gerenti ægre ne feras, quod reddam. Vale! Leydæ $17\frac{16}{10}31$ Uxor et filia Te Salutantes gratias agunt pro cura Sollicita erga me.

Epistola. 65.ª

Spero Te recte valere, inque Neptuni oscillis excutere podagram. Ego lenta valde emollitione experior ingentem escharam tarde solvi. Quia voluisti, mitto Tibi literas ad Sloanium, et Meadium, celeberrimos Britannorum Medicos. adjunxi tria exemplaria Chemiæ, unum destinatum meadio; duo Sloanio; non Te his onerassem, nisi ita ipse voluisses. Videbis brevi gentis acerrimæ mores, opulentias et Sapientiam, Batavorum laudabis indefessam in laboribus ferendis diligentiam apertamque Simplicitatem; Tu interim, caram mihi valetudinem Tuam curato, vivitoque felix! Si quid, gratum quod Sit, potero efficere Tibi, fac Sciam, dictum factum erit! Leydæ $17\frac{21}{10}31$.

Epistola. 66.ª

à Londres chez le Comte Kinsky.

Euge! desideratas diu et exspectatas, exosculatus Sum literas, quibus Te vivere intellexi; Utinam datum fuisset Simul, et Te valere, ut in iisdem legissem. Re expensa, credo, Si triduo ante plenilunium, semel, mane, jejunus, haurires pulvisculum A. mistum in Semiuncia Syrupi violacei, et post horam dein jus non Salitum vitulinum, atque eodem die pro prandio iterum illud jus, Sedulo cavendo ea die ab omni acido. purgabit avum. decem horis postquam

assumtum fuerat haustulus. B. bibendus. Id non nocebit, promittit resolutionem coacti plenitudinis diminutionem: spero proderit. Maximas vero grates Tibi, pro opera mihi praestita in tradendis libris.

Misi duo exempla libri mei de Chemia ad Ozium Roteradamum, ut dixeras. Unum in Bibliothecam Serenissimi Ducis onerandam, alterum Tousainio amplissimo in monumentum amicitiae, tertium addidi Tibi, in quo tesseram adscripsi nostrae mutuae amicitiae: hoc distingues. Oro, velis offerre Principi Tuo meo nomine in venerationis meae ergsa Ipsum testimonium: quippe qui non habeo majus, quo genium Ejus adorem munus. Si vero credis, minus decere, ut hoc fiat, facias ut decorum judicabis.

Illustrissimo Comiti Neibergio mea obsequia, huic Sapientiam antemeridianam, post prandia, Saturnalia, Jocularia, iterum commendo. Vale, eximie Vir, et Scito, testudineo gressu ire curationem mali mei in Sanationem. Scripsi Leydae, de lectica, cui affixum relinquebas tui amatissimum. 17 $\frac{26}{11}$ 31.

A.

℞. Sacchari gr. iii
Scamonei lectissimi. gr. IX.
Stibij diaphoretici bene abluti. gr. XX.
M. in mortario vitreo diu terendo fiat P. tenuissimus, pro una dosi.

B.

℞. aq. stillat. Melissae
menthae āā unc. I.
Sp. cort. Citrei - - - drach. i.
Syrup. diacard. - - - drach. ii.
Tinctur. opij - - - gtt. XVI.
Mf haustulus.

Epistola. 67ᵃ. à Rotterdam

Accepi, quæ ad me misisti, integra. Beastime, gratias ago, quod Salvus bis transivisti Neptuni regna! utinam illa domina dolorum, infesta Tibi Erynnis terraque marique non dominaretur eademque crudelitate utrobique tyrannidem exerceret. Est vero mira in Te vitæ vis, quæ de tenui victu Spissamenta cogit inflammationi generandæ nimis paria. Hanc tamen debellare sinessus, lenire dabitur, opinor. jejunus ventriculus hauriat uncias quatuor frigidæ, puræ, aquæ hora ante jentaculum, claudat par haustus cœnam. Nitri esto parcus Simul, at crebrior usus. frictio frequens ad Solos vero articulos. quæso, mitte cætera, Simplex hoc Sequere bimestri Spatio. Ego interea parabo Paracelsi antipodagricum. Experiar prius in aliis, dein dabo. Gratias ago maximas pro pulcherrimo dono musico quo filiam ditasti, grates illa ingentes agit non sine verecundia ocyssimeq; se dedit exercicitationi. Me vero quod attinet, liberatus dudum fui ingenti frusto Siderata carnis, quæ mortua excidit de gangræna, quam horruisti. jam cavum nova plenum carne sensimq; coëuns Solidescit Locus. Conditionem novisti aridæ plagæ, jam ante dimidiatum Seculum nudatæ ab omni adipe, hinc strigosa prorsus, facileque prospicis, futuram cicatricem tenuissimam, eamq; membranæ accretam musculorum: unde obsequiosa minus hærebit loco rigiditas, cui leniendæ paravi oleum de cera geminata stillatione penetrabile, et mite. Hiat jam superficies extima cruda adhuc, Sed pura, et Sine fundo, denarij amplitudine. Aqua certe tua de Sale parata ammoniaco et Sulphure pulcherrima præstitit. Tabula Suspendatur votiva Bassando Soteri!

Tobbii Libellum fabii de variolis Satis reperi laudabilem: patiens est laborum, veri avidus, et Satis in Sentiendo liber.

Jam doleo, quod femoris apertum adhuc malum prohibeat excurrere Roteradamum! Sed momentanea collocutio nonne foret acerbæ divulsionis integratio. Animo, Sic voluit Deus,

præsenti Tecum, absentis amici impressam contueor imaginem, hisce me reliquiis pasco, facitq; Seculi beatitudo, ut literarum sit liberum commercium. His fruamur, o Bone, donec pura labe animæ in Elisijs beatorum campis Deum ament, venerentur, conspirante in nudum amorem ardore! Vale o optime creditoq; divisas nos ambos animas possidere. mandata facta putes. Leydæ. 17 25/12 31

Epistola. 68.ª à Berlin

Suspiravi literas, quibus certior fierem, qua frueris valetudine, ambiguâ sanè conditione spemq;, metumq; inter. En vero beasme! Salutares currunt rivi, quorum jugis defluxus Sanitatem certo promittit. quare omni ope niti decet, ne ullo sistatur modo; imo vero lenissimis sustineatur remediis: mannatis lectissimi semiuncia, subinde hausta mane, tutum eo, sed et efficax, remedium. uncia cruoris hac via destillans onere levabit integra libræ Sanguinis; <u>point de Saignée dans ce cas</u>. cernis animi impetum gallica fundere inter latina satis inconcinnè. Ignosce erubescenti! fomenta de mollientibus, ano apposita, blandissime alliciunt. His utere quandoq;, ubi, e re fore, judicas. Nil desperandum favente hoc naturæ levamine. Interim prorsus suadeo usum salis ammoniaci, ut nuperrime obtuli: spero viscidum ita phlogisticum incisum iri, corpusq; adeo pondere levandum plethorico. Borussorum Regem, affluentis in arterias cerebri Sanguinis copiâ pressum, forte salubri sanabis consilio: eo quippe egere videbitur. Certè, qua terras obambulabis, artis diffundes munera faustissima. Uxor, et filiola, vota faciunt pro salute Tua, gratiasque repetunt pro gratissimo suavissimoque, munere musico. audivimus jam plus vice simplici cantantem: chi vive amante, sai che delira &c. descripsit manu propria

cantilenas

cantilenas juvenculæ præcipue decoras, quas dein concentu in nostro cantat, magno animo, arte parva; ego, ut deliri et in Suo erga prolem amore parentes, interea et in hisce me oblecto. malum in femore nondum coaluit in cicatricem motum vero corporis ultra vix impedit. Utinam talis fuissem coram Invictissimo Principe Tuo! Spectacula dedissem in Chemicis haud displicentia brevis horulæ jactura. Sed fata obstitere vanis conatibus Sine virium favore. Vota salutaria concipio venerabundus quotidie pro Salute Principis, quem Deus velit Europæ Sotera! humano generi delicias! In dulcem revolutus in Saniam precor. Si quid arborum videri fruticum, Suffruticumq3, Succurre amabili amici Tui stultitiæ, qui in oculis Te gerere impos, in animo Semper repositum alloquitur. Vale! Leydæ 17 18/2. 32

Epistola. 69.a à Vienne

Non sine læsa patientia expectavi frustra in hunc usque diem discere a Te, qui valeres, ubinam versareris, quid ageres? vel ea Sane gratia, quo Scirem literas mittere ad Te, quibus nunciarem, me penitus convaluisse, Te assiduo cogitare, et agni, ut resciscam, qua Sint conditione podagrici dolores? Solatio fuisset misero, et veris forte graviora metuenti. Scias interim, noctes me, diesque, laborâsse in Chemicis toto illo, quo hinc abivisti, tempore, ut reperirem remedium quod solvere Tibi queat tenacitatem abundantis Sanguinis, Sicque Sanare gravem morbum, aut lenire Saltem tormenti atrocitatem. Enimvero Suavis mihi foret vitæ usus, Si contingeret Scire, liberum Te à cruciatibus vivere; nec adeo requiescam prius, quam auxilia eo invenerim, aut mortuus fuerim. Simulac voti factus ero compos, curabo, habeas, quod tuto queas adhibere. Nuperrime contra podagram acrem, eamque radicatissimam, Suasi crebrum,

largumque usum recentissimæ, et lectissimæ agrimoniæ, Betonicæ, Chamæpityos, Melissæ, veronicæ, cum aqua simplici infusarum, sicque quotidie usurpatarum mane et vesperi. Credibile haud est, quantum brevi profuerit, firmando vires, humores fundendo, et agilitatem articulis reddendo, absque ullo usque dolore qui prius fere assiduus. Elegantissimum, neque memoratum, quod scio, experimentum nuper inveni in Venere illa, quam in Hungaria præcipitant ope ferri ex calcantho solutô, quamque falso putant, esse ferrum in æs mutatum. Urgebo rem ulterius, et spes est, miri quid inde proditurum. Sane illa æris inde sic nati species habet quid, quod in cupro ignem passo haud deprehenditur unde boni quid in medicina spero, ex volatili materie, quæ illi adhærescit: Chalcantha quædam alia, similes in usus, exploravi; sed haud invenio iis inesse parem virtutem. quin etiam vitriolum huc delatum non reddit adeo pulchram cupri faciem: nam illud cuprum, quod olim miseras in Hungaria paratum, auræ tincturæ specimina exhibet. Si ergo opportunitate quadam adhuc aliquantum illius cupri, sic præcipitati, nec ignem experti, posses mihi mittere, rem præstiteris gratam. Suntne in fodinis Cæsareanis viri periti, qui sincere et vere, possint experti dicere, quanam specie prima metallorum materies nondum malleabilis, in venis reperiatur? Est liquamen quoddam, quod Gur vocant, instar pinguis quasi sebi, it Agricula ait, coctione naturæ caloreqꝫ subterraneo, perfici in metallum maturum, perfectumqꝫ. Id non potui unquam videre, vel mihi comparare. forte examine talis rei, certius quid sciri posset de metallorum transmutationeꝫ forte virtus medicata in ea, quæ tam operose in metallis potabilibus quæritur. Sed jam forte tædet, Te mearum nugarum. Ergo Vale! Leydæ 17 $\frac{3}{8}$ 32.

Epistola 70a.

Exosculatus sum literas, quibus me beasti! dolui tamen, individuam tot peregrinationum comitum, invictissimam podagram, in extremos Europæ fines Te, pacem diu meritum, persequi! utinam tandem eo liber malo serenus vivas! Ego labore haud tralatitio noctes impendo diesq; quo indagem, secundum Alchemistarum indicia, an sit forte remedium, quod tuta efficatia resolvat hærentem imis nervorum medullis sævi morbi tenacitatem. frustra, ais. Sed vel sic mihi placeo, si invenero, probatum prius, Tibi proprium dicabo. In illo ære quod olim mihi donavisti, ferro præcipitatum, singularia quædam reperi, non prius mihi cognita: quare ultra inquiram, postquam largiorem ejusdem copiam nactus fuero. ajunt uno ore Chemici, non alia in re plus medicatæ virtutis absconditum à Creatore rerum, quam in Sulphure chalcanthi: nuper in nobili matrona, prorsus amente, facta, pulchri quid expertus sum. Si idem in aliis contingens, firmatur, magnum foret remedium ad mala melancholica. animosus haud, absistam in rem ipsam inquirere. Dolendum arduo, et pertinaci, labore, tam parum erui hisce de metallis. Tu, quæso, ipse de humore illo fossili chalcanthi, (: vitrioli Cupri :) ope ferri, accurate præcipita omne omnino æs, quod inest: Tum. Tibi supererit ferrum erosum acido nativo, ignem non passo fossili. Hunc liquorem cola, purifica, coge in crystallos, habebis vitriolum Martis naturale, cujus vires explora ad eos morbos, in quibus à ferro tali medela: si prudenter applicas longe aliud habebitur, quam id, quod oleo vitrioli paratur. rursum, ubi dissoluto huic vitriolo Martis purissimum alcali fixum tartari affuderis, donec omne ferrum ex liquore diluto præceps dederis, ex colato, rite saturato, liquore, nascetur Tibi Tartarus Vitriolatus, pulcherrimæ virtutis, nativus quoque.

Pro seminibus gratias ago maximas. Curabo ea: an in vastis illis locis quæ peragravisti, no observavisti arbores novas, vel frutices? mea egregie crescunt, ornantq; meum Suburbanum agellum, quem fere quotidie valens inviso pedes, totus ceterum firmus licet LXIII. annos jam Superans: Solo tamen renum calculo discrutior, medelam peto ab equitatione, et exercitatione corporis.

Dum undique Scriptores veros de re metallica excutio, deprehendo ubique, eos tradere, in durissimis Saxis cerni Spissum unctuosum, Saponis instar lique-facti, humorem metallicum coloris ex viridi flavescentis, qui durescens reddit verum metallum, qui adeo esset prima metalli materies, in aqua Solubilis; atq; fossoribus appellatur Gur. Res foret hac Scitu digna; num Scilicet virtute medicata esset præstans, Si reperta Sciretur facile! Vale, mi âmatissime Bassande! fortunatissima quæq; Tibi precari anni auspicia jubent renovati! Leydæ. 17 $\frac{31}{12}$ 32

Epistola. 71ª.

Bassand avoit perdu la dot de sa premiere femme de ₤18000 qu'il avoit placé chez le banquier ~~Heinzenberg~~, qui fit banqueroute

Exsultavi præ gaudio, ut inscriptionem, vidi literarum; ubi argumentum perlegi quasi fulmine ictus perculsus sum! nec est penes me, quo justum tanta ex jactura animi dolorem amico ~~meo~~ liniam: millies cogitavi, Jobum universis Simul elapsum bonis, liberis orbum, tormentis discrutiatum, piè dixisse, et Sapienter. Deus dedit, abstulit Deus, gratias agamus Domino! Te, amicorum optime, ea jam ornavit Statione Numen, ut, Si Sanitas modo Sufficit, opes Satis colligere poteris pro Te, et cara filia. Cumq; Cæsarea Te obumbret Majestas, Spero, rediturum, Solidum, quod perditum reputaveras. Sis bono animo! caveas veterem melancholicam! ama unice amabilem Jovem: cætera dormienti confecta dabit. Moneam interea, antiquos jubere Batavos, ne unquam numerosa nimis ova vel optima Supponamus gallinæ, Sed dividere

NB

Sapo hic, vacuo receptus ventriculo, cum levi corporis motu pede, rheda, equo. in actum deductus et uncia unius alterinsve aquæ frigidæ haustu adjutus, dissolvit lentores mucosi in stomacho intestinisque recrementi; obsessa inde oscula arteriosa et venosa deterget; motumq; liberum humorum per hæc vascula expedit, sicque officinam primam mundat, muneri aptat, acida, coagulata resolvit mitificat. Novisti lixivium saponis misceri omni equidem noto corporum generi; inde potui, chylo, humori venarum mesentericarum, mistus in venas it, hepatis, vesiculæ fellis, promtuaria horum et emissaria aperiens, bilis confectionem juvat, motum incitat, officium promovet. Neq; minus beneficii leni, nervisq; amico, stimulo partium inertiam excutit, virtutem animat. In ipso autem sanguine adeo est fere universale remedium, ut spissa incidendo coëuntia resolvendo, amurcam attenuando, pingue viscosum dividendo, emunctoria reserando, solidam morbi materiem per illa urgendo, fere faciat, quod de sale tartari reddito volatili Magnus Helmontius promittit. Ex his cernere est, quæ verissima hercle, vix aliunde plus solatii in chronicis malis. fateorq; felicissimos mihi in his præstitos successus saponis crebro usu, et diu protracto adscribendos fuisse. Unum, si velis, dabo exemplum; Vir fortis, Cereri, Bacho, Veneri, immaniter deditus, semper in extremam usq; senectutem, absq; ullo morbo, validus. Solebat semper, ante prandium, vacuo ventriculo, immittere pilulas de hoc sapone confectas, adeo insigni effectu, ut nihil fere mali unquam senserit, in quotidianis semper comessationibus ad exemplum immersus. non erat alius, cujus corpus plus ad podagram à natura vergeret, nec alius podagræ conciliandæ plus operæ dedit nunquam tamen ille ea infestatus. Utendum est sapone, ter in die, vacuo ventriculo, singulis vicibus pondere scrupuli reducti in pillulas, juxta modum supra memoratum. Continuari potest usus in longam diem: quia raro sic sumtus nocet, vel integro protractus anno. In uno tantum casu noxium deprehendi, quoties nimirum acerrimæ bilis abundans copia nimis fundit, et liquefacit humores, abradit, et erodit viscera atq; intime dissolvit sanguinem, qui dein sudoris specie dimanans de corpore tabificam creat totius emaciationem, cum calore molesto hectico. Nocet etiam iis qui laborant cacochymia putrida alcalescente oleosa: queis halitus oris cadaver spirat, urina foetet recrementa alvi putrefactum prorsus olent, pulsus arteriarum exiles, præcipites tamen, et hectici. Tandem in peste, capite putridorum morborum exitialem esse, multiplicatis observavit experimentis laboriosissimus noster Diemerbroekius. Tu, qui leges humani corporis, penitus intelligis, pulchre cernis, Tibi, Tuisq; convenire malis, si cum aqua capitur. Succus graminis recens demessi ad uncias binas, ternasve, quotidie vacuo ingestus stomacho fere idem præstat, quem tota ego elapsa æstate religiosa observatione bibi læto usq; eventu contra in subitus nephriticos, arthriticosq;. Sed sapo semper præsto, semper paratus, utiq; comodior. atq; ea quidem crediderim respondere quæsitis tuis circa hancce rem.

HO Excusi omnes.

dividere

dividere potius fortem inter pluros usurarios: tertius hoc, licet forte paulo laboriosus.

Ratio vitæ, quam instituisti, laudabilis inprimis mihi videtur, Saponisq, et nitri, quotidianus hac dosi usus mira præstabit: id multis manifestis id didici exemplis; illum examinavi, cujus mihi Specimen dedisti, et inveni sane quam pulcherrimum omni quidem nota Saponem; quare, vel meo periculo, audacter eodem utere; proderit. NB Sapo hic.

110 Excussi omnes fere autores principes, qui commentati sunt historiam metallorum; ajunt hi uno ore, deprehendi in matrice Saxea metallorum, primo humorem pinguem, Spissum, adipis instar coloris vero ut plurimum ex flavo viridescente, quem Germani fossores proprio vocabulo Guhr appellant; ex hac coagulata per naturæ coctionem oriri metalla quæcunque, ut ex materia sua proxima. Certe omnium Princeps Georgius Agricola, Eximius quoq Mathesius in Sarepta, Paracelsus, Helmontius disertissime ita narrant. Id si verum constanter erit, tum falsum videretur dogma, ex igne et argento vivo, conflari naturaliter metalla, vel ex Sulphure et mercurio, ut omnes vere Patres Chemici, maxime Hombergius, ajunt. Enimvero videretur sic, potius vitriolo similem proximam metallorum materiem habendam, quam argento vivo. Res memorata digna et inquisitu, scitu utilis. Ex iisdem didici bismuthum pulcherrimum in fodinis maturescere in Sincerum argentum. Sed Tu vale, mi optime! bene age, et lætare. Leydæ 17 $\frac{3}{10}$ 32.

Epistola 72.a

Lætissimo accepi, gratissimoque animo literas quibus me honoravisti, datas Presburgi XXV. Decemb: anni elapsi: ominabar quippe fausti quid allaturas de Salute instaurata carissimi amicorum! ad invida frustrantur fata, quod devota Tibi mens precatur! Excitet tamen amicæ industriæ aculeos hostis Sæ-

vissimi indefessa pertinatia eâ spe, ut igneis votis adspiret deniq; quem super his veneror, Deus! En carissime, laboris improbi et meditationis acerrime collectum deniq; fructum, hunc Tibi offero eo, quem Tibi debeo animo; utinam respondeat par precibus eventus! Triduo ante novilunium bibas nihil propotu, praeter aquam sinceram in solamen sitis; edas nihil praeter jus vitulinae carnis coctum solo cum hordeo mundato, ut modice tantum sit nutriens, edas vero, quantum fames postulat. Ipso novilunij die cape mane, jejunus, pulverem inscriptum A. mistum in Syrupi Violacei uncia. Purgabit. Si vomitum forte quod non putem, ciet, ventriculus mulsa tepida colluendus erit. Eodem die, peracta purgatione, octo horis post assumtum pharmacum, bibas, opii purissimi grana bina in succo limonum soluta. Nil acidi eo die prius sumendum; prandium de jure simplicis carnis, coena liberalior. Triduo ante plenam lunam, ipsoque plenilunij die, repete eadem prorsus sumendo pulverem B. Diebus caeteris intercalaribus inter hos sex, vivas moderate, herbas oleraceas, de Lactuca, Chichoreo, Endivia, Taraxaco, acetosa, coctas in jure carnium, una cum radicibus Scorzonerae, Sisari Germanorum, Tragopogoni; jam has, jam illas, admiscendo pro lubitu. Carne assa, pisce fluviatili assato, interim quoque sed moderate uti licebit. potus de tenui cerevisia esto, et de vino bono mosellano.
Altero mense eadem agito, sumendo pulverem C. et D. ultimo. fac post haec sciam, an non podagram tuto abegeris? Sic fore spero, imo praevideo. quo casu curabo, sat habeas de medicamento magna cum cautela, nec sine labore, parabili, quodque jure merito habeo pro Paracelsi, et Helmontij arcano; de usu securus esto! de successus fere certus promitto. Utinam haberem in Te laborum pretium! fiant ergo haec prius, quam de gramine, et fomentis, de quibus cogitas, deliberes.
Cistellam cum fossilibus accepi hodie XXI februarij, incolumem, atq; omni vectigali et portorio liberam. Pro quo munere

gratias summas quidem ago; sed cum tristi verecundia dum erubescens doleo, moereóque, qui tanto Tibi oneri sim impudentissimus dudum debitor, et usq; mendicus. Sed æs illud ignis vi intactum nusquam potui ullo venale pretio reperire, neque ab ullo alio ex loco natali parare: quum tamen eo egerem ad quærendum Sulphur Vitrioli Veneris, quo nihil in humidum radicale agere victoriosus contra morbos, Helmontius ad ravim usq; palam clamat, præcinente Alchemistarum turba. Ego jam noctes impendam vigil diesque, ut investigem; repertum candidus Tecum participabo.

Tu vero facias, quæso hoc experimentum accurate. aquam illam vitriolicam unde illud æs paratur, primo quiete aliquot dierum in magno vase, puro, vitreo, defæcato a fæce subsidente. Dein liquorem purum effusum per colum chartaceum iterum depura. Postea dilue in duplo aquæ purissimæ, atq; huic diluto liquori, calefacto ad gradus 90. in thermoscopio Fahrenheitiano, impone longas lamellas ex ferro simplici, vulgari, crudo, non de chalybe. Præcipita omne æs de illa aqua; donec ferrum nullo modo amplius rubescat, si politum immergitur calidumq;. Sic certus nihil aeris superesse in liquore, et omne æs ferro præcipitatum ad fundum, cola liquorem, inspissa ad pelliculam, habebis vitriolum martis nativum, quod in medicina explores. Vale suavissime amice, caro cum unico pignore, in qua faxit Deus oblectes Te, videasq; virtutis avitæ natos inde hæredes: Leydæ. 17 21/2. 33.

Epistola 73a.

Mense februarij elapso, post accepta fossilia, gratias egi statim, ut debui, maximas; respondi simul ad ea, quæ Tibi, ex me petere visum fuerat. atque pulveres. Helmontiana paratos arte, medicatos misi; ut periculum fieret, num levare malum Tibi horridum, ærumnosum meo animo, possent ut dudum

in aliis podagrâ enectis praestiterant.
Exspectavi sollicitus desideratissima responsa quotidie: heu frustra! quid rei? qui vales? quid agis? fac, quaeso Te, ocyssime sciam! nec enim aliter valeo requiescere. Aes, quod ferro praecipitatum de chalcantho misisti, in experimentis haud respondit illi, quod olim dederas ferro crustae instar haerens: nam hoc cum argento vivo coibat statim, illud nulla arte; quare haud potui perficere medicamen destinatum, quod de altero prius confectum habui mirae adversus caducum virtutis. Crediderim, ferri miscellam impedimento esse: id, nosti, solutionem cum argento vivo prorsus renuit, in aliis prohibet. Valeo cum meis quam optimè. Arbustum meum viget munificentia Tua. reperisne in Pannonicis arbores, fruticesve? an spes est bona semina Tiliae Bohemicae amplissimo folio, et alterius folio cucullato, haberi posse? gauderem impudens mendicus generosae liberalitati semper magis avare inhians. Sed Tu haec in amico fers miti sane, et sapienti, Laeliano animo. Vale salutatus à meis a me cultus. Leydae. 17 $\frac{19}{6}$ 33.

Epistola. 74.a

Euge! recepi exspectatissimas! et revixi! quanta mihi gaudia legenti, satis Te jam recte valere, quin imò minacem subsidisse et turgentem arteriam in pede. faxit Deus ter optimus maximus, incolumis Tibi sit, et diuturna, valetudo! laetor equidem tanto impensius, quod methodo saponacea, alvum laxante, haemorrhoïdas stimulante, obtinueris meliora: quia hanc tutissimam puto. neque nocebit sapo, quamdiu calor, sitis, dissolutio sanguinis nimia, largiorem usum haud prohibent. Crediderim, excretionem sanguinis ea via potissimum saponi deberi; prodesse igitur, et eo nomine, saponem. Quam suaseram, methodum ideo laudavi Tibi: quoniam

mirabilia

mirabilia praestet in podagricis, quorum corpora plena. Nescio, me in remedij appellatione tecti quid obduxisse: raro ita assuevi facere. Helmontius Pater in opere Belgico, ait diserte haud ita diu ante mortem, purgatio diaceltatesson Paracelsi, quae et podagram purgat. Hanc propria paravi manu quam accuratissime. non admiscui cremorem Tartari: Scammonei vires requisitas destruit. reliqui nitrum fixans: optimum puto, blandumque aperiens. Resinam Scammonei curo semper terendam cum pauxillo Sacchari: tollit viscidum resinae, promtiorem ciet actionem. de anisi oleo nihil additum.

Aes missum cum argento vivo curavi terendum per dies, tam sine, quam adspersa aqua. dein argentum vivum inde igne expuli ne minimum quidem miscellae, aut amalgamatis signum. Quum alterum, quod, ferro adhaerens, prius miseras solo attactu fere argentum vivum in se traheret. Crusta aeris ferro accrescens nil nisi purissimum aes habet. Haec scobs, ultimo missa, credo et ferrum habet immistum intime: magnes hinc non separat. Si aquas rodentes applico, vel ignem, volatile Sulphur Veneris, quod unice quaero, mutatur, aut perit.

Si chalcanthum illud, blando tantum igne in glebas coactum ea lege ut perspicuum maneret, vitriolum dictum nativum Veneris hic redimere possem, pararem facillime id ipsum: sed non prostat venale nisi adulterum. Tiliarum surculi, mense octobri abscisci in ligno praecedentis anni, vulnere pici immisso olim misi à Te, prehenderant, sed hyeme saeva exstincti: Si tales in parva pyxide lignea, eo circiter tempore, occasione Juvenu nobilium huc cogitantium mitti possent, conarer loco securiore adversus brumam periculum denuo facere.

Novi dudum Venetiis, et Patavij, vagrandia volumina edita meum inscripta nomen. Sed quid agam? patior lenis, quod corrigi nefas. Nec seni tantum vita, neque occupatissimo tantum temporis, suppetit, qui proprias nugas commentarijs onerosis

terræ graves reddam: unum id deploro infortunatum quotidie, quod notus adeo ubiq; et sola calamitate sæculi laudatus, ignotus nimium mihimet ipsi moriar, ni, votis adspirans Numen dederit otia meditationi mortis adeo exoptata, adeo necessaria. Sed et hoc ipsum supplex humilisque, submitto Illi, cui totum Universum bulla est. Uxor, et gnata, Te quam officiosissime salutant. Ego vero ~~totus~~ Tibi me dedo. Vale! Leydæ. 17$\frac{23}{7}$33.
Qui valet unica Tua Filia!

Epistola 75ª.

Gaudeo de recuperata Valetudine Tua, qua mihi vix aliud habetur pretiosius, quam stabilem faxit et incolumem Tibi Deus! quas vero grates agam, quod amice me participem feceris rei adeo mihi optatæ!
Quam mira debet latere humorem degeneratio in corpore, quæ ad tenerrima ligamenta articulorum per spissitudinem detenta, dolores, immobilitatem, denique infirmitatem, relinquat, vel excitet! utinam huic fundendæ, expediendæq; certa simul et tuta methodus, atq; remedia haberentur! Sane sunt mihi rationes validæ, quæ persuadent, id obtineri tandem posse per remedia Hydragoga, interquæ princeps id est, quod mea paratum manu, misi, cujus indicavi usum. Quippe nihil tutius novi, qui carissimæ conjugi, et unicæ meæ Filiæ, crebro id exhibui, blando, et egregio successu; nihil habeo efficacius quum mirifice attenuet. Certus sum, si usurpare deliberas ut commendavi prius, nequaquam damnosum experieris ullo respectu podagrizanti. Si profore invenis, parabo Tibi, quantum pro Te voles, jusserisq;: requirit namq; peritum in hisce artificem. Si interea loci quotidie biberis uncias sex succi recentis pressi de recentibus, repurgatis, in pultem contusis herbis acetosæ, becabungæ, cochleariæ, Endiviæ, graminis, nasturtij aquatici, mane, vacuo ventriculo

mirabilia

puto omnino, Te tandem longo usu dissoluturum diram pituitam, et mitificaturum rodens acre, instauraturum infirmos articulos; poteris et bis in anno sanguinem mittere: ut saltem Gallicismum pius colas, et vel ita quoque humores densatos attenues. Mihi sane creditur summa cum ratione cessurum his remediis malum. quod velit Deus imploratus meis precibus!

Labore conatus pertinaci miscere argentum vivum æri de venis per ferrum præcipitato in cassum fui operatus. terendo destillando coquendo, frustra fui. Desidero aquam Chalcanthi ut ipse inde pulverem æris parem. metus non est, aquam illam, si modo valde saturata sit succo concreto fossili, gelu coituram: quia sales metallici vix patiuntur constrictionem hanc, nisi forent valde diluta, quod in hisce opinor vix ita erit. Si vero parum modo sint venæ æris prægnantes, foret periculi quid, ideoque tutius teporem vernum præstolari oportet ~~transvectioni~~.

Ajunt Orectographi, in venis metallicis reperiri intra solida saxa, materiem viridescentem mollem, instar butyri pinguem, spissam, quæ coctione subterraneâ fit verum metallum absconditum intra eadem saxa. Hac in re omnes concordant. Cogitavi, an non talis materies primigena auri foret verum aurum potabile, viribus adeo decantatis nobilitatum? Hæc ratio cupidinis id videndi sola: facile quippe foret id explorare in ægris cum cautela id exhibendo. In manuscripto misso nihil hactenus video, præter illud, quod omnes illi processuum studiosi ubique jactant, movent omnia, promovent nihil.

Gaudeo bene esse caro Tuo pignori! faxit Tibi hanc perpetuam lætitiam Deus! qui mihi dat omnia ex votis. Sit Illi Unico omnis gratia, gloria, laus!

In praxi medica deprehendi, omnes, mihi obviam factas, febres intermittentes sanari illo pulvere quem Tibi misi

si datur sex horis ante exacerbationem cum pauco Syrupo Sacchari candidi. Idque ita fit in tertiam vicem diebus febrilibus. quartanae ipsae cedunt ter, quaterve ita tractatae nec quinquina nisi raro, opus. Estque operatio levissima qua pauperes quam plurimos certus sano. Iam fere anni spatio versor in parando remedio ex Chalcantho vero (: Vitrioli Cupri) ad morbum epilepticum, et jam incredibilia vidi, ut et in histericis. Ubi perfecero, videbis. Sed haud potui reperire hic genuinum, caeruleum instar Sapphiri, vitriolum Hungaricum, ne summa quidem diligentia, et pretium offerens; quod comparare potui fuit parum admodum caeruleum, magis viride, attamen laudabilia dedit. Vale! Leydae. 17 $\frac{8}{12}$ 33

Epistola. 76.a

Perfudere me gaudio literae Tuae: ex quibus laetus video, valetudinem Tuam jam satis benè se habere: utinam instauretur integre! Si putas, eo boni quid adferre posse pulveres Helmontianos, faxis, sciam; parabo, et mittam ea quidem copiâ, quam jusseris. Ne pareas in minutiis hisce labori meo: qui me regiis muneribus honoras, facisque Mida auratiorem. Laetor, unicum Tuum pignus recte valere, vocisque suavitatem aptare tinnulis cavi cymbali cordulis harmonice. Caveat modo irritare nimis matrem saevam Cupidinum, delirasque Ejus querelas ridere, sed discat et cantare (: Sento già, che senza amore, l'anima, ed il corpo muore:) placito non esse pugnandum amori: debet Tibi Senectutis fulcra, debet solatia. Mea usque Tua eandem Erycinae contilenam integrat, donec fastuosa pelletur Sapientia: id saepe dat dies, dum hora negat. Pro novis donis summas ago grates. Horum adspectus generosi pectoris liberalitatem dum mihi extollit, sane simul meam mihi vilitatem exprobrat: qui semper ablativus nunquam in dativum declino! Sed colo patriam, cujus fodinae

ustiles

ustiles cespites promunt, dum Tu fertiles auri, et argenti venis terras inambulas.
Quam ero curiosus aquarum eris explorator! Indagabo embryonem Veneris, quem tormenti tragopodagrici pacatorem laudant adepti: Si cepero, Tuos sanabit dolores pius, gratusq3. Hercle alia me non agit, nisi Ista haec spes; Si affulsit, vivam Persarum Rege beatior; Si fallit, gratias agam blandienti interea labori. Nactus tandem Chalcanthi Pannonici copiam Amstelodami, ocyssime incepi labores et hucusq3 mira video: utinam anodynum inde Sulphur, melle dulcius, diu frustra venatus tandem captem! Dedi Societati Britannicae laborum Specimina de argento vivo: inde patientiam meam et constantiam discent, videbuntq3 Stupendam mirabilis liquoris indolem, non adeo facile igne domandam, ut Summi Chemici nostra tempestate nobis persuadere conantur. Videbunt Alchemistas veteres longe Sapientius, et veratius, de eo commentatos.
Arbustum meum Te jam resonat, provocatq3 omnes hortos Suis copiis, Tibi maximam partem debitis. Si Michelius tantundem tribuisset, dixisset Phoebus, Hic agellus orbis imago est. Jussieurum Parisinum toties oravi literis, vellet mihi Surculos, vel Semina mittere arbuscularum, quas novi adesse in Horto Regio, impetrare haud potui; licet a tot annis fida cum Eo in re herbaria commercia coluerim. Tiliam cucullato folio, et Laricem foliis longissimis, utrasque Bohemicas, Tu aliquando dabis.
Merbonia orbavit me praecipuo delectamento, quo fruebar, equitatione: His quippe deliciis poenam possuit mihi mictum cruoris et pedum dolentem infirmitatem, quoties vectus sum. Careo his, Si pedes incedo. Ergo parendum.
Vale, o optime, Si quid in me Sit, quod Tibi e re Tua posse esse credis, eo utere ut Tuo: Tibi enim id quod habeo, idquod possum, proprium dico. Leydae 17 $\frac{o}{4}$. 34.

Epistola. 77.^{a}

Accepi binas cistellas, cum ampullis, una excepta integris.

aqua de venis aeris hausta plenis, experimento capiendo aptissimis quibus examinandis operam dabo, eventum dicam. Inveni in iisdem auri matrices, omnium, quas vidi, ditissimas pulcherrimasque et cinnabaris luculentissima quoque Specimina una cum duobus Pini pomis quam Speciosissimis. Priora in mundum reposui. Hæc Seminabo. Gratias pro his ago rei debitor mea Tibi: qui tot liberalitatis me muneribus honorare haud desinis.

Nactus eram occasionem obtinendi Semina ex Neapolitano Regno, et ex Sicilia, per optimum Virum, Tibique notum D. Marci: Sed abominatum Musis, bellum fortunatam rem subvertit. Micheli vero ne unicum misit Semen, postquam representato ære redemi libros, quos edidit: ut eum querulum Solarer. Interim hortus meus Superbit monumentis à Te erectis. Mirareris, Si videres vegeta viriditate formosas Sepe de tonsis Semper virentibus, pinis abietibus, Cypressis, Sabinis, aquifoliis, Genistas partiis, Taxis, in quibus ne una deficit. Quam maxime opto, Te jam valere liberum à podagræ tormentis: gauderem impense Si id Lætus intelligerem. Vale à Tuo. Leydæ. $17\frac{26}{5}34$.

Epistola. 78.a

Gaudebam, quando literas vidi, quibus me recreasti: quia nunciabant, Te, carissimum caput, mitius habere. Utinam tandem aliquando lenirentur cruciatus, et debilitas inde reliqua! Me Sane dolores acerbissimi à duodecim fere annis intactum reliquerunt ea tamen lege, ut quotannis, verno tempore, per tres menses, Sedulo utar, et quotidie largissimis potibus ex agrimonia, beccabunga, betonica, melissa, nasturtio aquatico, in sero lactis, decoctis. His certe indolentiam tribuo: quoniam hyeme prisci monumenta doloris ægri semper persentisco.

Spartium pennatum Austriacum accepi. Tataria pannonica rarissima me hercle planta. Sphondylium Transilvanicum Ricini folio, a cæteris manifesto Satis distinguit Se. Breynius in

centuriis expressit icone. Ex Scriptis crediderim Iaceam Tuam, esse centaurium majus; orientale; capitulo argenteo, flore luteo. T. Cor. Filia mea misit Tuæ pignus exiguum magnæ amicitiæ quam debet primo Patris Sui amico, ejusque gratæ unicæ, hancce epistolam. Abbati Martio hasce, quæso, cures. Vale! Leydæ. 17. 12/12. 34.

Epistola. 79.a:

Literas accepi, quas mihi Scripseras XV. Maij, quibus Significabas, lectissimam Tuam Filiam meæ misisse Sarcinulam, Teque Semina quædam addidisse in meos usus.
Delata mihi fuit XIV. Iulij integra. inqua Filiola mea invenit dona adquæ obstupuit, dum materiem Spectat, dumq opus materiem Superans considerat. Sed ita Te solere Regum opes animo æquare, nec fatigari benefaciendo, dudum ex me intellexerat. Erubuit illa, atque exclamavit, vincor nescia rependere. Ubi vero vidit musica diligenti manu descripta, doluit, Se generosissimam Virginem provocasse Suis nugis: fecit Silentem facti imprudentis pœnitentia.
Semina recensui: admiratus Sum, tantus Tibi otij a vita occupatissima. Gavisum credas me viso Tataria, et Spondylij Semine. repono beneficentiæ antiquum, ago gratias! nec elabitur mihi dies, quo non celebrem Tuas laudes in meo horto Suburbano, dum crescentes ibi Stirpes contemplor, Tuum nomen inscriptas. Sane tantum jam profecit, ut Botanici eum admirentur. Larix ibi Superbit Tyrolensis, Pinus cono maximo et Seminæ nobilis, atque Chamæcerasorum numerosa Sylva. Si Tilia Bohemica; foliis partim planis, partim undulatis, et cucullatis Micheli, et Silesiaca; folio maximo, varie, et profunde, Serrato; fructu Subrotundo, anguloso, et Lanuginoso; Micheli adessent, vix ultra quærerem.
Senectutem ingravescentem à torpore libero academicis, et domesticis, ut olim ipse vidisti laboribus. Demi noctes diesque Chemicis impendo. Si insanientis diligentiæ Specimen desideras

en hoc, quod Britannis dedi, de argento vivo, protuenda Gebri sententia. aliud aeque laboriosum Gallis obtuli, et brevi de auro et argento, experimenta prodibunt: unde constabit Alchemistarum antiquorum solida veritas, recentiorum, at quantorum Virorum lubrica doctrina. Hombergium, et Boyleum, quos tota sequuntur armenta, subodoraris.

Veteres Chemistae uno fere ore ajunt latere in aere, non deflorato per ignem, medicati quid ad extirpandam radicitus acrimoniam humorem, hinc et podagrae in eo remedium reperiri. Prima igitur conditio hic requiritur, ne igne difflata sit volatilis illa, quam celebrant, medicandi virtus. In Chalcantho nativa inest. Sed ibi mista aliis hebescit: recuperanda ergo inde sine igne; id praestat ferri incrustatio, ubi aes sincerum se se applicat. Id fui expertus in illo aere, quo me olim donasti, quod aquis chalcanthinis immissum ferrum eduxerat. Id sane ubi trivi cum argento vivo miscebatur facile in pultem metaallicam. Hinc rogavi, velles mittere quid aeris ita parati ex loco nativo. fecisti. nulla vero arte unquam potui id miscere hydrargyro, nec tritu, nec coctu ad ignem. Speravi, ex aqua chalcanthi ipse educam: haec ratio, cur rogaverim illas aquas. Generosa statim liberalitate misisti. Ocyssime ego tentavi cum ferro elicere aes, feci. Sed frustra fui, omni periculo facto, electum aes unire argento vivo. En laediosam repulsam! quaenam causa sit prorsus ignoro: quia id, quod misisti, facile potui miscere cum mercurio.

Dicam, quid viderim. Aes à Te acceptum olim univi cum argenti vivi triplo. erat vero Mercurius hic ille, quem Alexander van Suchten vocat Mercurium antimonij. Amalgama contrivi cum aqua, sit turbida, hanc effundo, affundo novam, tero, fit turbida, effundo. Sic pergo fastidioso opere per multos menses. Collegi pulverem coloris cineritii. Hunc aeri fere aequiponderantem, digero calore sani hominis. Do Hydropicae, cui aqua jam ter educta ex abdomine per paracentesin, cui

statim

statim redierat semper de qua igitur penitus desperabatur, et qua nulla vi poterat purgari per alvum. Res stupenda! grani dimidium vicies alvum movet. aquas educit, nec redeunt. Hoc vidi. an similia præstet semper! periclitabor.
Porro aqua, ex qua ferrum demissum præcipitaverat æs, superstes nil æris habebat amplius, sed erat verum ferrum solutum in spiritu nativo fossili. Colavi. limpida erat saporis atramenti sutorij: data ad drachmam, et ultra, per aliquot dies, miro sanavit successu maniacam furentissimā, noctes diesq; insanientem.
Incumbo jam graviter operi, ut præparatum illud ex ære porro perficiam, pro sulphure anodyno dulci Veneris. Si assequor, impertiar. Opium, Dei donum, miraculum naturæ, sapienter adhibitum, nunquam mali quid fecit. imprudenter datum nocuit. Occultare negat, foetor virulentus, et sapor singularis. Si granis purissimi opij tribus immisces olei stillatitij, Cinnamomi veri guttulam unam, dein additis Cinnabaris nativæ, pannonicæ grana VI. postea redigis in pilulas novem, tegitur nidor, saporq; opij, manet effectus; si datur pilula unica, omni quadrante horæ cum uncia aquæ ex melissa stillatitiæ, usq; dum desideratam virtutem exserat. Has tuto, et vere, pro laudano Paracelsi minerali adhibere licet.
Speraveram magna cum fiducia purgans Helmontianum quod olim misi usurpatum methodo, quam simul indicaverā multum boni producturum fuisse Tuo in corpore, quod obeso urgetur pondere; hinc, ita putaveram, adjectum fuisset. Aquæ sinceræ, frigidæ, potus proderit, opinor contra podagram. Sed cavendum à fame: increscit quippe ejus virtute satis; crede experto. Repletio vero nimia mihi suspecta. Quare temperandum erit. Moderata frictio, at crebra. neque ullo unquam die temere intermissa, quam incredibilia præstat in podagrā! Vale, o amantissime, diu, felix! Leydæ 17 $\frac{20}{7}$ 35.

Epistola. 80a.

Magno cum gaudio accepi gratissimas, quas XVIII Augusti mihi
Scripsisti: quid enim? narrant lætanti, paulo Te melius valere,
faxit Deus porro convalescas! et bene Sit aquæ, Si diluit podagricum.
Prima quidem opportunitate efficiam, ut videas, quantos veram labores
lubens, ut veri quid discam in rebus naturalibus. Totus fui ab aliquo tem-
pore in recensendis Swammerdammianis, quæ fugitiva dudum per Gallias
patriæ asserui è latebris redemta ære non exiguo: quum bis mille florenis
fere constiterint mihi. Parum abfuit, quin plagiario æternam conci-
liassent gloriam: Sane ostentanti pro suis emolumenta jam dederant.
Inter ea quæ usq; exstant in libris historiæ naturalis huic quidem
operi nil usquam laudatur simile, ac secundum. Dedi librariis,
ut evulgent ocyus omnia à me ipso digesta. facient illi, si prius
nacti fuerint idoneum numerum, qui nomina subscribunt. En
Tibi leges. Si probas, et inter Vestros harum rerum Studiosos incitar[e]
poteris, ut olim in Vesaliano opere promovendo opem tulisti,
efficies ea re, ut citius prodeat opus, in quo anatomica omnium
pulcherrima, nec audita prius.

Non requiesco dies, noctesve, moliendo omnia ut ex ære condit[a]
eruam partem medicatam, adeo elatam Chemicis; ut scripsi,
mira quædam vidi: allaborandum igitur, ut vel constet virtu[s]
abdita, vel iterum certo pateat, quibus modis frustra investigetur.
Hoc quippe postremum Semper ego magnum Satis pretium laborum
meorum agnosco, vellemq; ardentissime, Hermetici nobis ex vero
descripta dedissent irrita conamina, nec onerassent vanis promiss[is]
fictisve laboribus, hiantes corvos. Tu certus esto, si Solidi quid
rependet insanienti diligentiæ, Deus, habebis inde, quidquid et
Tu petere juste poteris, et quæ dare ego ex officio potero. Nonne tib[i]
mirum videtur cogitanti, quod unum granum æris dilutum
in tribus aquæ unciis, Scabiem, ulcera, maligna vulnerum,
certo citoque, illitu externo curet. Et intra corpus Sumtum
totum illud adeo perturbet, ut Saliva, Sudor, urina, alvus,

bilis, ventriculi subversio, commoveantur? Hinc forte experti dixere sub his venenatis et salubribus absconditum quid eximia virtute salutiferum. Helmontius videatur solus super his. Sed diu nimis nugis Te detineo! ignoscas insanienti devoto Sapientiæ et erranti forsitan, sed dolo tamen malo haud fallenti. Filia mea, exosculata suavissimum amicitiæ pignus, epistolam Tuæ, sua amicitiæ officia defert Nobili puellæ, et faustissima quæq; imprecatur. Vale! me Tuo utere! Leydæ 17 $\frac{9}{9}$ 35.

Epistola. 81a.

Quam lætus accepi literas, quibus me honorasti III Decembris! nunciāt rectius Te valere, cujus mihi tam cara salus! faxit Deus, felix sid at incolumitatis integrationem progressus! Sed memor sis, aquæ usus postulat exercitia: ne labefactatio dudum artus stagnante eadem mergantur. novi quid hac in re: quippe qui aliquot annis sincera aqua usus fui, sed Juvenis. Famem ciebat voracissimo ventriculo, atque guloni felox digestio. Tu prudens acriores stimulos Chocoladæ dulcedine mitificas. recte facis. Sed et juvabit multum molliter perfricare extrema, vino diu juvari sueta. En schedulas quæsitas. Opus ocyus prodibit. nam vix credibile quod, undiq; jus sibi inscriptionum, compararerit, Quos inter Reges, et Proreges. Opus sane erit, cui nec simile, nec secundum Videbis ibi, sit velit Deus, in historia Ranæ, ova foetus vagari per vacua abdominis, inde vero insinuari in infundibula, exprimi à mare in aquam ipso in exitu respergi genitali humore, extra maternum corpus in ipsa aqua; inaudita omnia, stupendaque, vix est pagina miraculis carens. Neque tamen multa exemplaria permitto imprimenda præter numerum inscribentium nomina.

Filia mea cantat odas Italas, ego miror earum suavitatem artificiosissimam, atq; ea in re me nec oblecto, brevi ingressurus sexagesimum septimum annum, metamq; currentis vitæ brevi attingendam prospicio, in solis

laboribus solamina cæterum persentiscens. Vale Tu, o optime, cum caro Tuo pignore! Leydæ 17 15/12. 35.

Epistola 82.a

Dictum, factum. en schedulas! gaudeo, vel his acui torporem scribendi, quem sæpe incusavi. Jam vero persuadeo mihi, Te recte valere, et manus habere scribendo aptas.
Outinam proficias magis, magisque, in Dies, donec sentias sanitatis perfectæ dulcedinem! Vale! Ledæ. 17 21/12. 35.

Epistola 83.a

Lætus intelligo ex iis, quas decimo tertio hujus mensis ad me dedisti, quod meas cum syngraphis accepisses. Gratias ago pro commendato opere. Id pulcherrima habet multa et singularia. Typographi vero dudum numerum ingentem habent eorum qui concurrerunt ad promovendam editionem, quæ jam satis feliciter procedit.
Quæ de mea erga Te amicitia, atq3 beneficentia, commemoras, tribuo, ut multa alia, animo generoso, quo Regum opes æquare soles. Sane si sederemus ad rationes, debitor ego Tibi essem: qui magno cum pudore quotidie mecum reputo, quod nominibus Tuæ benevolentiæ onerosus fuerim, et quam fuerit exiguum illud, quod ipse Tibi efficere potui. Utinam esset in me, Tibi gratum quod esset, et utile, efficiendo illud contentus viverem.
Cogitavi serio de re, quæ Te sollicitat; meditatus hæc respondeo, Tu pondera, et corrige. Si fœmina partui proxima, aut puerpera, sana prius, succi plena et sanguinis, semperque largæ menstruorum evacuationi assueta, malignis corripitur variolis, forte semel haud ita multum sanguinis educerem; si res id exigeret, per æstum, plenitudinem pulsum. Aliter non: quoniam à partu tanta laxitas vasorum; tam proclivis in

putredinem

putredinem lapsus, maxime circa Systema uteri; et tam formidabilis Spirituum in nervis perturbatio. Utiq; dolor ad lumbos; pulsus sola aquabili velocitate peccans; lochia parca; lac nullum; sitis aucta; satis videntur arguere, quod sanguis, in amplissimis vasis uterinis, computrescens, atq; malignam ibidem inflammationem excitans, delirio atq; diarrhaa fatali se manifestaverit. Notabile inprimis, statim à partu, foetu, placenta, aquis, modo expulsis, abdomen molle, non jam distentum, sed flaccidum prorsus: hinc vasa sanguifera, paulo ante compressa, jam subito laxa, sanguinem corde expulsum facile admittunt in se, avertunt à reliquis partibus accumulant in arteriis, venisq;, sitis in abdomine, præcipue uterinis locis, ubi amplissima jam, sed simul, collapso utero, inertissima vasa. apparet hinc quanta huic sanguini proclivitas ad putrescendum, præcipue aëre nunc libere in uteri cavam admisso, et veneno variolarum, adeo putrefaciente, jam quoq; agitante omnia. En, amicissime Bassande, causam, quæ creditur fecisse, ut putredo hic concepta eluserit omnem curam. Magna evacuatio minuit quidem impetum motus, sed prohibet expurgationem sanguinis, qui hæret in canalibus calamum scriptorium æquantibus, sed inertibus jam. Summum remedium, quo hæc mala avertientur, est, corpus puerperæ statim à partu, fasciis latis arcte adstringere; ut ita constitutu abdomen, urgens vasa expellat sanguinem per patula in pelvi vasa. Cæterum puto sic simul prophylactice curatum iri illam diarrhæam, quam putredini humores liquefacienti tribuo. Interim victum ex avenæ decocto sorbendo ad uncias IV. omni trihorio commendo, in quo pauxillum cinnamomi intabuit, et cui semper, tempore usus duodecima pars vini Rhenani, cum pauco salis grano, admista sit. Præterea vellem tertia quaq; hora diei dare pulverem hunc, qui fit ex Crem. ♃ gr. V flor. Sulph. gr. VII. nitri purissimi gr. II. stibij Diaphoretici bene præparati, sed non abluti gr. VI.

Hora vero a meridie tertia Narcoticum ex Tinctura opii cum Spir. facta ad gtt XII. ex Syrup acidi citri dr: IV. Potus optimus lac duabus aquæ partibus dilutum. Poma acida assa, coctave, pultes avenaceæ, hordeaceæ, vel ex oriza paratæ, jura carnium acida citrei et pauco Sale, condita, etiam licita Sunt. En, o optime amicorum, quæ consulta offero; ut et Tibi, hæc emendaturo, oportuna Sit materies cogitando, et mihi liceat parere jussis.
Cur nihil curioso de valetudine carissima refers! qui aquæ potor hymenæum celebrat! nonquid valet, carum tuum pignus Joanna! mea jam cantando absolvit omnes cantilenas, quas à Tua accepit. inter quas multæ Suavissimæ. Sua reverentiæ officia Uxor, et Filia defert Tibi, utraq. amicitiam et obsequiam Tuæ filiæ offert. Vale! Leydæ. 17 31/1. 36

Epistola 84ª.

Hisce gratias ago, quod certum me feceris Salutis Tuæ, atq. indolentiæ, hanc stabilem Tibi præstet Deus, precor. Gaudeo impense, quod corpus lac ferat, victui multum dispari assuetum: quamdiu eo uteris, et quidem Solo, recte valebis: Sic vide quam parum restat homini ut Se redimat à malo! opes quo, Si uti nefas! Sed aqua, et polenta, Epicuro satis, ut de felicitate contenderet cum Diis, ambrosia et nectare, fruentibus. Magna sane beatidudinis pars, quod Filiam habeas, ingenio, et moribus; placentem. Diu ea gaudeas in Solatium vitæ. Mea illi officia Sua deferenda commendavit, agitq. grates pro missa melodia Caldariana quam maximas. Sed oblita forte fuit Bassanda, quod in opulenta olim gaza musica, qua beavit Boerhaaviam, jam et hanc quoq. benefice inscriptam fuisse. Sed ea quidem nomine magis adeo obstrictam Se grata agnoscit, et querula, quod nesciat rependere debitam vicem. Quæ quæris ex me scire, libens aperirem. Sed raro

perrecticum

in commentarios refero acta: Scis quam sim miser laboribus. Soleo pro re nata consilia capere, remedia, et agendi rationes, eligere, neque caterum ex uno casu ad alium argumentari: hinc accurate referre nequeo gesta, neque et suis quoqz temporibus dividere; sic se fere res habuit:

Juvenis, viginti duos annos natus in India, robustus, dives, luxi perdite deditus, vino, electis inde spiritibus opiparis mensis, pergraecationibus, exercitiis immoderatis uti suetus, media aestate, debacchatus solito jam immanius, hinc febre ardente, dolore capitis summo, vomitu assiduo, angore terribili inquietudine perpetua, somno turbulentissimo, Amstelodamo Leydam vehitur velociter: ut consilia petat.

Nihil de variolis suspicans, mitto sanguinem largiter, ocysime. Statim purgans de cremore tartari, nitro, pulpa tamarindorum, Rheo, exhibeo dosi larga; id rite purgavit. Potum exhibeo ex radicibus acetosae prat: graminis Scorzonerae una cum tamarindis incoctis, nitro addito, et succo inspissato baccarum Sambuci liberaliter admisto; unde multum ille, et assidue bibit. At sitim vero, quae insatiabilis illi erat, utebatur aqua cum succo recenti presso limoniorum, cum pauxillo succi Ribesiorum, et Syrupo Violaceo, addebatur subinde et pauxillum vini mosellani. Decumbebat in Lectica aperta, corio Russico obducta, in cubiculo temperate frigido, apertis semper portis. Contra omnia hac insurgebat atrocior morbus. Urina flammea aestus exurens profusus sudor, somnus fere furibundus, lingua sordide fusca, taurini oculi igne et sanguine suffusi. Itaqz die sequenti, nondum apparentibus indiciis variolarum, eadem omnia, aeque libere repeto. Neque prohibebat in adscensio increscentis per omnia mali. Sed paulo post, omnis conspicua totius capitis pars, ubique, minutissimis punctulis rubris, proxime junctis foeda oculi lacrymantes, rubri, sternutatio, tussis. Unde videbam variolarum confluentium teterrimam speciem. Serio, diu, meditatus, gaudeo acta, quae inflammationi adversa

metuo Suppurationis, et gangrænæ, dira ventura effecta. His cavendis invigilo. Mane et Vesperi, pediluvia ex aqua et vigesima parte aceti. cavis pedum, et poplitum, fermentum panis acidum, aceto, et nitro permistis, noctes diesq3, applico. temporibus placentas rosaceas, aceto rosaceo, et Sambucino, irroratas, appono, Sæpe renovandas. Jubeo, Sedeat erectus, quantum ferre potest. Decubitum in Lectica, Loco obscurissimo, modice frigido, Silentia muta ministrantium, impero. Decoctum avenæ in aqua, cum Succo limonum gratum, lac ebutijratum coctum cum avena, Cerasa nigra, acidula /: Morelles :/ contusis cum suis nucleis in Sero lactis cocta per Setaceum pressa, pauco Saccharo grata, cum intrito pulvisculo pauco panis biscocti, pro cibo exhibui, nec aliud dari passus Sum. potus erat coffe cum $\frac{1}{4}$ lactis, Thé Bouhi cum $\frac{1}{3}$ lactis, cerevisia Mol, Serum lactis, aqua pura cum pauxillo Succi limonum. Decocto Tamarindorum Supra descripto utebatur toto morbi decursu ea quotidie copia, ut Semper quater interdiu alvum laxaret, usque ad quartam decimam morbi diem. Post meridiem, hora tertia, quotidie, Sumebat haustum Soporatum ex aqua Stillatit. flor. rhœad: unc. III. opij puri. gr. II. Sp. Sulph. p camp gtt. VI. Syrup. Violar. dr: IV. accessere interim deliria, furores, convulsionis diræ, obmutescentia. perrexi Semper eodem modo. Post diem quintum morbi, Semper ad decimum quartum Sumsit omni quadrihorio pulvisculum ex Cinnabar. nativ. Hungar. gr. VI. flor Sulph dr. ij. Stibii diaphoretici non abluti a nitro fixante drach. ß. M f p. tenuis divid. in XII. dos. æq. Sæpe utebatur ad asperitatem dolentis gutturis emulsis ex IV. Sem. frigid. maj. et amygdalis cum Syrup. althææ. fernel. Gargarismate assiduo ex decocto ficuum: erant enim omnia obsessa, et ulcerata, eo usque, ut omnis corpori cutis una tamen foret exulcerata crusta. quam post diem undecimam, jam penitus aridam, quater interdiu oleo recens presso de amygdalis opime inungendam curavi: Sensim tum

putredinem

tum vino Rhenano, jure carnium, refocillans vires; omnia superavi mala. vivit usque.

Legati Gallorum Uxor sex menses gravida correpta virulentissimis variolis, secunda statim die effusissime erumpentibus, cum pessimis symptomatibus, maxime in cerebro. missu sanguinis liberali statim facto, decoctis similibus utens, ut bis quotidie alvum deponeret. opiato vesperi ad gr. I. similibus pulveribus, omniq; alio regimine, ut prius tractabatur. Huic tamen pultes avenaceæ, jura vitulina leviora cum diu incocta oriza, cerasa recentia cocta in ebutyrato lacte cum pauco pane biscocto largius oblata, respectu foetûs. In illa tanta variolarum vis, ut prorsus incredibile. Sanata integre, tempestive pulchrum enixa filium, non passum variolas in utero. an balneum vitale amnii prohibuit! vivit bene sana illa, et ille robustus vivit. Interim monendum, accidere quandoq; in hoc morbo, ut venenum variolarum plus noceat. Spiritus projiciendo penitus, quam inflammando corpus. Tum æstus haud adeo magnus, pulsus creber, debilis prorsus, deliria levia. virium projectio. Variolæ lentæ, planæ, parvæ, depressæ, non adsurgentes. interstitia pustularum languida, pallida, certa mortis indicia. tum faces alvi solutæ, cadaveroso foetore, colore fusco, debilitantes. deliria. vox clangosa. His casibus methodus dicta obest. morbus ex se lethalis. Tum rad. Contrayerv:. dr. I. Serp. virgin. dr. ß. Rutæ recent. uncia semissis infundantur cum aq. stillatit. Rutæ ℔. j. Vini Rhenani unc VI. add. Sacchari dr. IV. bibat unc. I omni hora fervide. superbibens decoctum Scorzoneræ ut excitentur vires. dein pro renata, instituatur regimen. Vale! o amatissime! Leydæ 17 $\frac{30}{4}$ 36.

Epistola. 85a.

Lætissimus vidi Te feliciter, æque ac sapienter sanavisse, à diro morbo Carolum Principem. Magna laus est Primorum in orbe Principum confidentiam demeruisse, ut uni salutem credant.

Sed ita Spectata virtus, atq; nixa experimentis fides Tua effecit, Spero, hæc Tibi magis, magisq; propria fore dona! fateor tamen longe impensius gaudebam, dum intelligo, frui Te amabili convictu carissimæ Filiolæ, atq; eam Solari Labores actos diurnos vespertino cantu et Cymbalo. Quam illud jucundum, domi philomelæ Suavitate refici! expertus novi. faxit Deus diu ea contentus vivas!

Sic et mitescat acris podagræ Sævities: ut in dies lenior Suaviter modo Tibi repurget Senilis Sanguinis profunda, mentem Serenet, et Sobrietatem imperet. Vini boni pauculum convenire articulari morbo eximius Sydenhamus, in Se expertus, Scribit. Credo et Tibi profore. Sed in fricatione articulorum equitatione aut vectione, præcipua pono.

Gnata mea cantando, et cymbala pulsando, interpolat alia Sua, magis severa, Studia, quibus mentem Suam diligenter Satis excolit. Officia Sua defert Bassandæ, à qua responsi quid Sibi promiserat ad ultimas Suas, in quibus de ovulo mystico, pia desideria in Scripto ænigmata proposuerat Solvenda.

Ego recte valeo, noctu dormio in villa mea. quinta matutina peto urbem. ibi ad Sextam à meridie querelas ægrotantium lenio. Chemica exerceo. animum legendo oblecto. Deum adoro, amo, veneror, unice. redux rus stirpes contemplor, agnosco, laudoq; Amici Bassandi liberalia munera: hortus enim Superbit arborum varietate vegetarum, ibi ego plantis immorior, et amore plures habendi Senesco. Amabilis, dulcis, insania! Tiliam Bohemicam latissimo folio, atq; miram illam cucullato folio ex Silesia, quis unquam dabit! Ita pariunt divitiæ insatiabili majorum famem, et torquet avarus benefactoris liberalitem. Ignosce Senescentis amici delirio, quærentis Serere arbores, quæ adspectum juvent nepotum; iisq; umbram faciant. Mihi Sic vita transit inter hæc, dolenti nihil nisi quod non Simul sis, lætus cætera. Vale, et me Tuo utere! Leydæ 17 24/8. 36.

Epistola 86ª.

Euge! Recte! feliciter! En tandem exspectata venit epistola, venit cara: à Te est, de Te boni quid nunciat. quam Sincerus gaudeo! utinam et perficiatur Tibi Sanitas constans! laudabo capellas, Si nectare Suo profuerint. accepi cistellam cum fossilium Chalcanthorum frustis illibatis, quæ examinatis pulchra inveni proquibus gratias ago maximas.

Operum Swammerdammianorum primus in folio Tomus jam evulgatus est Januario hujus anni. Remisi ad Te Syngraphas, quæ ad Eos pertinent, qui Subscribsere pro editione. Debent igitur mittere illas Syngraphas ad quendam Batavia incolam, qui exempla petat a Typographis. Tomus alter etiam brevi evulgabitur, Sicque finitum erit opus, Sane pulcherrimum.

Dolet mihi, quod mellitissima Tua Filia laboret gravi auditu! certè cataplasma de bulbis ceparum Sub cineribus assatis, cum Galbani pauxillo, et oleo castorei optimum est, quod novi ad hæc incommoda. potissimum quidem quoties Simul, mane, et vesperi, loca auribus vicina, in ambitu, diu, et fortiter, perfricantur. Oportebit Sane Scrutari, Si forte obstaculi quid in meatu auditorio externo: ut emolliente ex melle mercuriali injectioni repurgetur locus. An cæterum bene valet? an non cogitas de conjugio felici, dum vivis, ipsi conciliando? mea Filia Tibi venerationis officia offert, ut pulchræ Bassandæ amicitiam. Rogatque an cantet crebro? ipsa Sæpius cantando recitavit omnes, ne una excepta, quas olim dono accepit. Sed maxime quærit, cur ipsi non dixerit hactenus, modum aperiendi Globum quem olim misit, cum inscriptione: pia desideria.

Targionius, quem defuncto Michelio Suffecit in Botanicis Magnus Dux Gaston paulo ante mortem Suam, me oravit, ut peterem à Te ut efficeres, ut Magnus Dux Vester, illum in Suo munere porro firmet. Ille Sane dignissimus est, ob Summam in re herbaria, et in omni historia naturali, notitiam. Sanè, Si quid hac in re boni præstare poteris, bene merenti officium facies. Vale! Et me tuo utere! Leydæ 17 17/11. 37.

Epistola 87.a

Summo cum gaudio perlegi gratissimas mihi literas: quippe nunciant, quod mitior morbus, et quod natura fert lactis usum unde certo semper lenimen summum. Semper equidem metueram, ut obesum corpus, aliis asuetum; atq; ex arte inter laxiora locandum, satis admitteret id alimenti. Nunc periculo facto est, ut grater de fausto eventu. faxit Deus plenam Tibi, ô amice perennem faxit, à diris tormentis, sanationem! Tu, animosus exemplo, constans in usu perstes usque beneficô, et salutari. Quæ de Opere Swammerdamniano præcipis, sic, ut jubes, curabo. Quæ monumentis Parisinis inserui, non habeo: neq; enim hæc seorsum edita. Ultima, quæ actis Philosophicis dedi, etiam ipse necdum vidi, cætera adjungam.

Targionius optime de re Herbaria meretur. Dux Hetruscus Ei obtulera munus, quod Eximius Micheli gessit tanta cum gloria. Utinam Serenissimus Princeps Tuus officium illi faciat perpetuum: ut opera Micheliana, quæ parata jam edere autor, præ inopia haud potuit, per successorem defuncti evulgari queant. Orbem literatum sibi obstringet, qui pulchra hæc ad animum revocat, et donat felicitati seculi. Gratias Tibi ago, quod tam benevole et illi et mihi faves.

Videris subtiliter et vere, suspicari de gravi auditu lectissimi Tui pignoris. quod si vera hæc mali causa, nunquid forte censes, boni quid fieri posse, si adhiberentur cum prudentia, quæ viscida ad glandulas fundunt. atqui mercurius dictus dulcis, parca copia, mistus ad hydragoga fortunatos sæpe habet eventus, si ante novilunium, et plenilunium datur ita ut triduo præcedenti, sic bis in mense porrigatur. Optima quæq; Tibi precor, et carissimæ filiæ à Deo ter optimo, maximo! et uxor et gnata mihi unica, sincera meis sua vota jungunt. Vale, o optime amicorum! Leydæ 17 10/1. 38.

Epistola 88ª.

Accepi mandata Serenissimi Principis Hetruriæ. Illa omni obsequio venerans repondeo, duos Medicos quos jussit, et hic artem medendi intelligere, eâ diligentia eo Successu, omnia audivisse, intellexisse, et in usus artis sibi propria reddidisse, ut ausim promittere, eventum responsurum votis generosissimis Celsissimi Ducis. Valde lætor quod singulari opportunitate ambo me comitati sint Semper, dum ægris in valetudinario decumbentibus medicinam feci à quinque jam mensibus. igitur non modo instituentem audiverunt, Sed & exercentem artis præscripta viderunt.

Certe industriae, Sapietae, et virtutis eximia ubique documenta dederunt. faxit Deus ter Opt. Max. ut eos populis Suis Salutares diu videat Summus Heros. Sæpius eos Simul Sed et Seorsum examinavi, atque de variis in medicina rebus detinui Difficile fuit ex vero judicare quis primas ferat vel uter utro melior: Sane pares dixero, qui pulchre sunt omnium gnari. Explorabo ultra, si forte discrimen repererо Sincere aperiam. Utinam adeo facile mihi esset, quam desideratum ut respondere possem Saluberrimo Magni Ducis instituto de dysenteria et febre Pannonica, boni quid proferendo? sed prius Scire debeo, an mala hæc abaëre, aquis, alimentisve oriantur. etiam quomodo incipiant primo qui pergant? quid efficiant dum eunt in Sanationem alium morbum, mortem? qua via, quibus remediis usi moriantur ægri, quibus leventur à morbo? præcipue vero, quanam actiones in primis Cæsar mancantiis, qui languenta morbis istis postea.

Si velis curare, habeam hæc fideliter notata, dabo operam ut id parum, quod in me est; totum applicem, ueruam methodum tractandi in Spem felicis eventus. Sivero arenicale quid, aut chalcanthi, Sit in aquis, unde malorum origo, Solatum loci evitatio mederi poterit: id ego Scire quam certissime debebo. Si placet Principi deferas reverentiæ, et obsequii fidelis officia mea: cujus Salutati

perennem integritatem precor. Vale o optime, Uxor et Filia, Te Tuamq; Joannam Salutant. Grata rogat sique elegantes cantilena italicae in aula sint, sis benigne memor nam omnes quas olim donavisti, jam sæpissime cantavit Leydæ. 17 21/2. 38

Epistola 89a

Nobilis Brittannus et Medicus eruditissimus Lauson, postquam Scientias edidicit et partem orbis politissimam peragravit, deniq; ducitur Studio inspiciendi metallicas fodinas, quo materiam Viri proposito favere, ut Casaris Subterranea recensa: Ille sane id meretur, Sapientiâ et virtute præstans, et tu libenter Bonis prodesse Studes. Me prehendit vomica in pulmone, Spiritum, præfocans ad levissimos corporis motus à tribus abhinc mensibus, quotidie increscens. Si clausa augetur opprimet, Si vero rumpitur, eventus incertus.

Quidquid fiet id omne contiget ex arbitrio Supremi Numinis. cur ergo metuam, quid cupiam aliud! Adoremus Deum! Sufficit. Interim curo Sedulo ut lectissima adhibeam remedia, ut leniam et maturem, Securus de exitu. Vixi ultra Sexaginta et octo annos semperq; lætus. Tu Vale ô optime et vive diu et felicer! Leydæ. 17 16/3. 38.

Epistola 90a.

Simul ac intellexi, quis fatalis morbi genius, totum me dedi, qui reperirem viam qua iretur in Sanationem mali. Sedulæ meditationis affectum in chartula mitto. Tu pro Sapientia qua eluces in arte, expende, si quid boni habeat, plenoque pro arbitrio muta. Ego non potui meliora excogitare et convenientiora castrensi medicinæ. Si non à Scientia placevero certe laudabor ab obsequioso conatu: qui, ut parerem jussis serenissimi Principis famam meam periclitari volui lubens in re tanti momenti.

Summus ago gratias pro beneficentia musica, quam brevi expecto: Si audiam melodias venerabundus recordabor generosissimæ bonitatis

Ipse male habeo, à morbo pulmonis, qui motum molienti Spiritum præfocat. Utor omnibus, proficio parum, forte Verni Favonii tepor boni quid inspirabit: id dabit Semper Deus, quod unice mortalibus bonum. Illi Sit gloria, amor, et obedientia nobis! Targionius Hetruscus, fideli cura, vereor, ne et expensis Suis, misit mihi munus eximium, octuaginta nempe diversa arborum Semina, in Italicis lecta oris; Debitor hinc ego illi refugio ad Te, ut magnorum meritorum virum insinues benevolentiæ Principis; non dubito, qui pulcherrima præstiturus Sit. Vale amicorum optime, et me Tui amantissimum dilige! Leydæ. 17 24/3. 38.

Consilium præcedenti Epistolæ adjunctum de Dyssenteria Castrensi Hungarica.

1 Quum Dyssenteria Castrensis in Pannonia Subito occupat Sanos; tollendo appetitum omnium primo: constat inde, venenum hoc, cum Saliva deglutitum, actionem ventriculi destruere, inde cadere reliqua viscera in Suis quoque officiis.

2 Quia vero summus pellitur simul; qui prorsus à Stomacho pendet: confirmatur prior sententia omnino.

3 Notissimum habetur, nauseam vires projicere uno impetu ita, ut robustissimi et Sanissimi, uno momento cadant debiles neque referre, qua de causa orta fuerit turbatio nervorum octavi Paris ventriculo, et cordi communium: id docet mechanica gulæ irritatio, Corporis in mari oscillatio, vectio Rheda averso corpore, conspectus rei nauseosæ, memoria poculi medicati, terræ tremor, emetica, purgantia, venena et infinita alia. quæ docent Herculis robur resolvi languente, nauseoso, irritato, ventriculo solo.

4. Imprimis serio considerandum, quod ventriculi prostrata virtus Solvat Pylori officium; qui ingesta haud destinens cruda demittit intestina versus; hæ vero eodem veneno debilitata, et crudis è ventriculo obruta, robur amittunt, laxant hepatis ventriculi mensenterii vasa: unde arteriarum compages amittit per dilatata extrema omne liquidum

subtilius, augeturque malum magis magisque ubi semel susceptum fuit, corrumpuntur humores, unde hectica febris, corporis universi colliquatio, cum abolitione virium.

5. Videtur propria vis hujus veneni agere in naturam humanam nervos labefactando imprimis in ventriculo, tum solvendo humores in tabum putridum, bilem præcipue: a quibus binis deinde oriuntur cætera.

6. Sedula consideratio omnium jam dictorum facit, ut cognoscatur quid agendum sit, ad præcavendum malum. Omni vespera clausis Tentoriis, incendatur pauculum pulveris Pyry: ut fumus ille sit in tentorio. panis militaris sit ex bono frumento, bene fermentato, cum pauculo sale, optime percocto in Clibano. aqua inprimis esto pura, in magnis doliis, cum Sulphuris accensi fumo in cadis concussa ut solent vina sulphurari. hinc enim aqua induit facultatem putredini illi prorsus contrariam, et vere lustralem. Potest vero id sine labore perfici, modo dolia sint ingentia, quorum centesima pars maneat superius vacua, tum telæ sulphuratæ per orificium demittantur incensæ, donec exstinguantur. Obturatum deinde dolium quassetur concussu reciprocato, ut fumus Sulphuris penetret. Hæc aqua, sic præparata pro potu communi eadem hora valet. omni mane, ante jentaculum, deglutiatur semiuncia panis macerati in pauxillo Spiritus vini, aut juniperi. Hæc pauca, et simplicia, si observantur, omnia bona promittunt, ultra quam credi queat.

7. Si tamen quis malo corripitur, tum statim in primo morbi invadentis initio, exhibendum vomitorium de simplici modo vino emetico, communi, recenti, ad uncias duas. eo assumpto bibendum nihil ante quam semel vomuerit. Simul ac vomuit, bibantur unciæ octo tepidæ, ubi evomuit repetatur idem haustus: id continuetur,

donec

donec ultima aqua retinetur. Sumat tunc uncias quatuor vini, et post horam assumat duo grana opii soluta in semi= uncia boni aceti. Eadem omnia hac, eodem modo, repetantur sequenti die, et iterum tertio. tunc cura præcipua erit per acta.

8. Si Emetica quis repudiat, poterit uti purgatione alvi, et loco vomitorii; tribus diebus successivis, quotidie, mane, assumere haustum purgantem hunc: Myrobalanor: Citrin: sine nucleis dr. ß. Rhei optimi dr. i. redigantur in pulverem tenuem, qui tota nocte, vasa clauso, infundatur cum aqua q. s. mane terantur simul, premantur per linteum densū, ut sit liquor ad uncias duas, quibus admisce Scammonei gr. V. contrita in Syrupi cichor. C. Rh. dr. IV. F. haustus. ubi operatio absoluta, decem horis assumptu. bibat uncias IV. vini. et post horam duo grana opii. soluta in aceto.

9. Ubi venenum hoc modo expulsum, deinde sequentibus undecim diebus, sumat quater interdiu, vacuo ventriculo drachmam de hoc remedio, ex vino. Boli armen. dr ij: Catechu. dr: iij. mastiches, olibani ā dr. i. Theriac. Andr. dr V. Zingib. conditi unc. i. Mf. conditum. Inde capitur drachma, hora ante jentaculum, hora ante prandium quinta pomeridiana, et hora ante cœnam.

10. Hac methodo mutatis mutandis, puto malum caveri et sanari posse. Si Tenesmi urgent, oportet clysmate uti, pro re nata repetendo, ex terebinthinæ dr. ij solutis in dr. vitelli ovi. lactis unc. viij. et theriaca dr. ij.

Epistola 91.a

En Medicos, qui à magno Principe sapienter electi, ingenium à natura felix, cultura sapientiæ jam perfecerant, antequam huc venere: id didici examinando. Hic vero diligentia summa et successu fortunatissimo, hauserunt, quicquid in arte disci potest

apud nos: ut colloquia crebro, et de industria, instituta me docuerunt sedulo inquirentem.
Itaque Lætor, Serenissimi Principis generoso, et Sapienti, instituto speratum successum respondisse! qua in re et Tuas fortunas, qui rei auctor fuisti, laudo: qui gratiam rei feliciter peractæ reportaturus sis.
Hodie, hora undecima accepi musica missa, optima, integra; Filia ocyssimé se recipit ad Cymbala, et pluribus successive horis cantu percucurrit, summo cum gaudio.
Nihil restat, nisi ut infinitas gratias agam, pro munere gratissimo Serenissimis Principibus! Deum veneror pro Ipsorum salute!
Spero, Te recte! Ego malo pectoris discrutior, ægrum spiritum trahens, lætus tamen Numine. Leydæ 17 18/4. 38.

Epistola 92.a

Gaudeo de Medicis prospere ad castra Cæsariana profectis; satisque certum sum, quod bene functuri sint officio. Utinam Tibi inde dulcis quies, et serenamenti unice grata pax, affulgeat. Poteris auctoritate et consilio, artes promovere, bonis prodesse. Quid ultra votis contendamus mortales?
Quæ de beneficentia in Targonium generosissima hercle commemoras, priscæ sunt virtutis rarissim vestigia: quæ eo quidem impensius admiror, quo pauciora exempla novi pari. Sed meo nomini id omne imputandum, qui Tibi sane obæratus debitor solvere non possum: dico ergo Tuus sum ex asse.
Quas gratias agam, quas dicam, Tibi nuncianti lactis lenim ad podagræ sævitiem! Beatum me Tu facis mediis in calamitatibus! vah vixisse juvat die, quo hoc intelligo. faxit Deus perpetuam Tibi hanc indolentiam! redeatque agilis articulis lubricitas! dum defæcatus cerebri nervorumque fluidus liquor Bonamenti pacatus serviat. Sic cura liber

et dolore vacuus, leni perfruaris in beata vita otio, omnibus aliis Salutaris.

Ego æger anxietates supra vires tuli: omni fere momento suffocatus à terribili dyspnoeâ. Accessere postea angustiæ hypochondriacæ exquisitissimæ. Tandem vero et diræ ideæ. Hæc omnia pervigilem noctes egerunt diesque: ut vix tristius quid ferri potuerit à natura humana. Postremo aqua intercus oscheocele anasarca, phimosis formidabilis, una cum molestissimis Symtomatibus; donec crepante epidermide aqua se exoneravit multum hac viâ: unde ulceratis partibus jam laboro: hæc mea vita, quæ placet tamen: quia sic visum Deo, cujus absolutissimum jus in me agnosco, amo, adoro. id orans, liceat pati patienter, et cum laude infinita Summi Numinis, id omne, quod vult, ut patiar. Experior quotidie, quod post tristissima quoque diu tolerata, Serena diluceant intervalla. Dulce est inter hæc de Te cogitare, qui boni Viri speciem vita tota exprimis, cui parem necdum reperi: Regum certe opes animo æquas vere generosus amicus. Doleo, quod non potuerim dignas Tibi vices reddere unquam, sed intra verba inania, et vota, stetisse omne id quod reipsa præstitisse debueram Tibi, cui semper optime volui. Oden dedi Filiæ, ut edisceret. Uxor et filia Te salutamus! Utinam diu, felices vivatis simul, et felicitate Bonorum fruamini! Literas Holliero inscriptas curavi, qui accepit! Vale! Leydæ. 17 $\frac{19}{6}$ 38.

B: died 23 Sept, 1738

N.° 2.

Epistola Boerhaavii ad Bassand

Ep. 93.ª

Monsieur mon tres cher Ami.

j'etois tombé dans la derniere foiblesse, quand j'avois le bonheur d'étre honoré par votre precedente. Dieu fasse, que les grands faits de ce tres Illustre Heros reussissent pour le bien du genre humain, et à la gloire de celui à qui apartient tout. qui soit aime et honoré

Je commence à devenir un peu plus fort: mais dans un epuisement si anneantissant que je n'en puis plus

Adieu mon grand Ami

H Boerhaave

Leyde 17 $\frac{8}{8}$ 38

Ep. 94.ª

Mon mal s'empire, mes forces se diminuent. Les oppressions du coeur, causées par le polipe, sont continuelles, et de la derniere cruauté. Dieu le veut ainsi, sa volonté tres parfaite et souveraine soit glorifiée dans la soumission de sa creature: qui n'aime, ni adore que l'infinité de l'Eternel.

G. 93.a

Graces à Dieu qui vous benit par l'usage
du lait, j'espere qu'il Vous rendra une
santé parfaite avec une ame contente.
Je suis rejoui que Votre Prince soit
gueri, j'espere que Dieu le conservera
pour le genre humain
Les oeuvres de Mr. Swammerdam sont
enfin achevés. Le IIme Tome est devenu
beaucoup plus grand, qu'on ne l'avoit prevu
c'est pourquoi le prix montera à proportion
J'ai payé vos inscriptions du Ir Tome
abec l'argent que Vous m'envoyates.
Apres cela je vous ai renvoyé les
recepisses. Si bien qu'à present pour
tirer vos exemplaires il sera necessaire
de renvoyer les recepisses, avec
l'argent pour le IIme Tome, et de
donner vos ordes coment les exemplaires
doivent etre addressés
Voici tout ce que j'ai pû dicter. Dieu
vous conserve dans sa divine protection

Leyde 17 11/9 38 HBoerhaave pp.

B. died 23 Sept. 1738

69

N° 2.

Epistola Boerhaavii ad Bassand
et alios &c —

70

Joanni Baptistae Morgagni Anatomico Excellentissimo, Medico claro

H. Boerhaave. S.

Accepi literas, quibus me decorasti, & egregium, quo ditare me liberaliter voluisti, librum, argumenta ilico evolvi intento animo, nec facile dixero quanto utrimque gaudio affectus fuerit. Gratulor mihi de oblata amicitia Viri, cuius evulgati libri tantum mihi profuerant dudum, tantamque in Auctorem optime meritum venerationem menti impresserant, ut ambitiose eam quaerere, si fuissem ausus, ipse sane pridem studuissem. eo itaque carior iam mihi, quo facilior in eam aditus: quam semel partam bene merendo tueri sedulo curabo. Multa, et pulchra reperveram, quae propria Tibi, in priori Adversariorum parte, plura in his binis reperio ultimis. Gaudebam forte caro hospite in meis aedibus Frederico Ruyschio, quando opportune Tua appellebant Adversaria ultima, evolvimus una, & adeo placuere nobis, ut uterque dixerit, curam, eruditionem, ingenium, inventorum successum in Operibus his excellere, uterque plura a Te speret, uterque pro evulgatis agat grates, uterque amicitiae officia offerat. Certe ut laude priorus Operis auctor fui evulgandi & hic, ita crediderim & haec posteriora brevi recudenda in Academiae usum. Ravio deest Tua. aeger est animo & corpore, nec hac hyeme par, qui munus obeat. Utinam religionis non obstaret dissidium; ea enim est apud nos hominis celebritas Tui, ut magnam spem conciperem, eas procurandi conditiones, quae forte facerent, ut Academiae huic nostrae accedere posset gloria & lumen ex Tua doctrina. Videtur enim brevi prospiciendum necessitati muneris Anatomici: quum sit hoc tempore pulchra hic Studiosorum Medicinae frequentia. Certe Clarissimus Ruyschius maxime tale quid optaret, ut adhuc posset Senex iam octuagenario major, sed noctes diesque in anatome occupatus absque ulla ad horulam remissione, Tecum conferre de promovendo hoc Studio. Tu si quid in hoc negotio cogitas, fac sciam, lapidi dixeris, & homini, qui ex meritis Tuis dotes Tuas aestimat. Vale. Lugd. Batav. 17 13/12 18

Nobili, Claroque Viro, D. Joanni Baptistae Morgagni. H. Boerhaave. S.P.

Gratias ago pro erudito, quo me donasti, libro, quem magna cum utilitate perlegi. Reddo tibi hunc honoris ergo: accipe vultu, animoque sereno. Anatomicus noster Rau mortuus est, legavit Academiae omnia sua praeparata Anatomica, inter quae pulcherrima sane sunt, quae ossa spectant. Suffectus est illi eruditissimus Juvenis, Bernardus Siegfried Albinus, viginti modo & duos annos natus, ut Anatomen doceat. Clarissimus Ruyschius scribit Adversaria Anatomica, quorum Decadem alteram nunc imprimendam, curat. Gratulor Tibi Collegam Pontederam: quem moneas, rogo, ut Horto nostro semina rariora mittat, ut olim bonus solebat Viali. Vale. Lugd. Batav. 17 12/11 19

Nobili, Claroque Viro, J.B. Morgagni. H. Boerhaave. S.

Dies agebatur primus Decembris huius anni, quando accepi exspectatas diu a Te literas, quas video jam IV Idus Februarii 1720 ad me datas fuisse. Laetor eo impensius, quo magis dolueram, timens ne forte humani quid fuisses passus. Gratias ago Tibi, quod Indicem benigne acceperis, licet conscriptum modo in usum Auditorum; maxime, quia ipse novi haud carere illum vitiis. Adversariorum IV.V.VI. nec dum accepi, nec reperire hic potui, quod me urit, quia ardeo desiderio ea meos in usus legendi. Albinus junior, suffectus defuncto Ravio, egregie tuetur locum, Juvenis in amplam spem assurgens. Coegit me muneris officium, ut tertio ederem Institutiones Medicas: ubi profeci ex Tuis, in iisdem confessus fui, ut videbis, quando data occasione, quae nimis rara, ad Te misero. Si industria Tibi singularis novi quid detexit, sciam velis: simul cognoscam, an aliquid, gratum quod sit, efficere tibi possim. Vale. Lugd. Batav: 17 8/12 20

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae. H. Boerhaave.

Gratus, memorque munerum, quae dedisti, mitto salutem Tibi, haecque simul semina rarissimarum stirpium sana certe, atque adeo quidem recentia, ut similis mihi, nunquam fortuna hactenus contigerit. Amant solum fimi equini calore praegnans, atque frigus quam maxime et leve pertimescunt, caeterum laete satis germinant. Utinam arrideant Tibi tam eleganti talium

spectatori

Nobili, Clarique Viro, I. B. Morgagni. H. Boerhaave.

Quod iussisti, feci. Si aliud vis, manda; factum curabo. Adversariorum desideratissimos libellos ultimos nondum vidi, licet acriter scrutatus apud Henricum Bernard: qua in re id me urit inprimis, quod intelligam additas literas, quibus Tua mihi voluntas agenda quaedam dictaret. Ubi accepero, mo: do, simul praestabo, quae petis. Ruyschius Te salutat, quem plurimi sane facit. Vale. Lugd: Batav. 17 26/7 21. P.S. Haec Specimina eleganti Tibi Spectatori, ut contempleris, mittit Ruyschius.

Claro, Nobilique Viro, I. B. Morgagni H. Boerhaave.

Tandem accepi gratissima Tua dona literaria, primo nempe Septembris; Ruyschio sua tradidi. Ut ille, sic ego gratias agimus maximas: multa enim singularia & probata in iis invenimus, de quibus Tibi & Medicis gratulamur. A Clarissimo Ruyschio brevi accipies, quae addit, omnia denuo impressa, tun: que simul scribet. Utinam vero prius contigisset ultimis tuis Adversariorum partibus mihi uti & frui; correxissem duo, quae ex Tuis demum, a Te solo observata, didici. En libellum meum de Insti: tutionibus Medicis ultimo editum, in quo reperies multa, quae ex Tuis laboribus mutuatus laudo. Addo exemplar Orationis, quam nuper moerens habui. Spero Tibi reddita Specimina illa artis Ruyschi: anae, quae epistolae inclusa misi. Vale vir egregie & diu feliciter agas. 17—21

Nobili, Clarique Viro, I. B. Morgagni H. Boerhaave.

Gratias ago pro erudito libello, quem mihi dedisti: simulque per Nobilem Britannum Innys, Virum in Sapientiae Medicae omni parte incredibiliter versatum, Tibique commendatum, hunc offero libellum, quem reluctanti frustra expressit molestissima optimi mei Ruyschii voluntas. Addo Orationem, quam Te non accepisse miror. Omnia Opera eius Viri, cui in anatomicis parem haud dedit nostra patria, simul jam excusa vulgabuntur brevi, quando exemplum Tibi mittet Auctor in amicitiae & reverentiae, qua Tua prosequitur merita, pignus. Vale. Magnum Valsalvam a me saluta, & egre: gium Santorinum. 17—22

Nobili, Clarique Viro I. B. Morgagni. H. Boerhaave.

Ut accepi Tuas, negotium datum curavi. Simul accepero Scripta, ut iuxta animi sententiam typis excudantur, sedulo dabo operam. Tuum erit, explicare, quid aliud velis; mihi iussa prosequi, gaudio erit, honori deputabo. Soles quippe nihil moliri inepte, sed naturae speciem liquido exprimere sermone; unde plurimum profuisse mihi pulchra in: venta, quibus Artem locupletasti, laetus recordor, publice gratus profiteor. Tuis ergo votis obsequi, id est commoda promovere publica, quibus omnes se Boni sacrant. Fac itaque, intel: ligam, quid porro in his a me praestitum velis: habebis promtum, promtumque Tua in ob: sequia. Vale. Leydae 17 20/9 26

Claro, Nobilique Viro Joanni Baptistae Morgagni H. Boerhaave.

Operam dedi, quam potui accuratissimam. Sex exempla dedi D.o Boulenger, Tibi ut mittenda cures; exempla quatuor mihi, Ruyschio bina, duo Albinus, Heistero retinui reliqua, quae voluisti ab eo petenda. Santorinam inscripsi Michaeli Venetias. Haud memini a Clarissimo Viro accepisse quid. Sed tot negotiis obruor, ut misere saepe vix respirem, unde plurima saepe negligenter obliviscor. Id si & hac in re infortunato acciderit, doleo, veni: amque peto. Huic Santorinae inclusi exemplum Vesalii forma regia, quod Clarissimus Albinus, & ego honoris ergo offerimus Tibi: quantum laboris & curae huic impendimus, facile videbis.

simul

Simul mitto Opus Vaillantianum Tibi, in quo expoliendo, nec leves impendi labores ipse. Addidi quatuor exempla, ut distribuas secundum inscriptiones, unà cum additis aepistolis. In illis, quas ad Micheli dedi, sunt quinque inclusi aurei: quare obsecro Te, cures recte ad eum perveniant, & ocyus. Vale, Vir egregie, et me Tuo, ubi placebo, utere. Leydae. 17 $\frac{9}{7}$ 27.

Clarissimo, Nobilissimoque Viro Joanni Baptistae Morgagni H. Boerhaave. S.


Lactus intellexi, Regem Galliarum censuisse, honori fore Academicis Parisinis, si Te socium illis laborum conciliaret. Quam rem Illustri Academiae, Tibi, mihi gratulor: qui & hinc ejusdem Corporis membrum sum, cujus Tu pars magna eris. Faxit Deus, diù felix hoc fruaris honore; ut eximia industria opera ornes academica. Offero Tibi chemica haec, quae mihi vis major extorsit, in testem reverentiae, & amicitiae, qua Te prosequor. Si alterum exemplar ad Institutum Bononiense Marsilianum expedire quam ocyssime placebit, rem quidem mihi gratissimam praestiteris. Vale. 17 $\frac{1}{11}$ 31

Clarissimo, Nobilissimoque Viro, J. B. Morgagni, H. Boerhaave.

Jucunda mihi quotidie, & laeta semper, Tecum conversatio: dum, meo sane bono, inspicio pulchra, quibus medica amplificavisti, opera. Sed & absenti saepe loqmor Amico jam veteri. Jam iuvat & per literas colloqui: quo scias, me valere, Tibi promtum ad officia, si quid forte hic curatum a me Tibi velis: impera liberrime, dicta facta putes. Desideravimus ardenter, & diu, videre Valsalvae Postuma: scripsit quippe digna lectore eleganti. Te vero curam eorum in Te recepisse, fama dudum retulit. Contigit hinc, ut Kerchemius, typographus noster, qui Tua quondam excudit, me rogavit, vellem, Te orare, ei ut impressionem committas, spondetque simul, se allaturum rei omne, quod jure desiderare possis. Id facio, quia honestus est in primis in illo genere hominum, quod verba dare consuevit Eruditis. Plura haud addo, quippe novisti hominem. Vale, Vir Preclarissime, & me Tuo utere. Leydae 17 $\frac{30}{10}$ 37

Anno 1745 die 20: Maij Patauij.

Testantibus mihi Nobilibus Viris presentibus Domino Julio Pontedera Publico Professore Hortique Medici Prefecto, et Domino Marchione Francisco Poleno Joannis Publici Professoris Filio Epistolarum omnium que in hoc folio descripte sunt Autographa existentia apud Nobilem D. Jo: Baptistam Morgagnum Publicum Professorem Primarium, scripta esse manu propria Nobilis et Summi Viri quondam Domini Hermanni Boerhaavij Publici Professoris Leydensis, ex ijsdem mihi exhibitis, Autographis ipsas hic aliena quidem, sed mihi fida, manu describendas curavi, et descriptione cum Autographis collata, ne unum quidem verbulum in descriptione esse inveni, quod in Autographis non sit. Hoc itaque iure iurando attestor, ideoque meum subscripsi nomen, signumque meum Notariale apposui ego Joseph Maria Minatois Filius quondam Antonij Veneta Auctoritate Publicus Patauij Notarius, ac Almae Universitatis Dominorum Artistarum huiusce celeberrime Academie Patauine Cancellarius.



Nos Hieronymus Querini pro Ser.^mo Duc: Dom.^o

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae. H. Boerhaave.

Gratus memorque munerum, quae dedisti, mitto salutem Tibi, haecque simul semina rarissimarum stirpium sana certe, atque adeo quidem recentia, ut similis mihi, nunquam Fortuna hactenus contigerit. Amant solum fimi equini calore praegnans, atque frigus quam maxime et leve pertimescunt, caeterum laete satis germinant. Utinam arrideant Tibi tam eleganti talium spectatori

Ven.^lis Paduae Rector, fidem facimus, et attes:
tamur ex.^m utr.que ecc.^{ae} J.U. D.^{num} D.^{um} Joseph Traviam Uni:
nati esse talem qualem se fecit, et fide dignus
in quor.
Ex Canc.^a mag.^{ca} Civ. Pad.^{ae} die 20. maij 1745.

Alexander Tagliaferri Canc.^s Rey.

...ro Claro Rei herbariae peritissimo
Petro Antonio Michelio Botanico Hetrusco
Boerhaave.

...ago summas pro literis mihi raris quam gratissimis. Tibi [illegible]
...tum gratulor de publicationibus quas inter [illegible] premiis [illegible]
...d dicam de muneribus, liberalitas ad me datis [illegible]

Nobili, Claroque Viro Julio Pontederae . H. Boerhaave . S.

Erat primus decembris modo inchoati, quum laetabar quam maxime; nec mirum: recepi literis, insignique Tuo opere botanico. gratias ago maximas, excepto, quod paria rependere haud detur, caetera laetus. Librum evolvi, ocyus, avidissime, summa equidem cum admiratione, dum argumenti elegantias conferebam cum eruditissima eiusdem pertractatione, atque ornamentis a Stylo singularibus. Gratulor Botanicae universae, vestraeque Academiae, dum nacta est utraque talem defensorem, quo egebat tempus. Faxit Deus, vires suppetant corpori valenti ad sustinendam mentis industriae occupationem sedulam. Si Semina largiri iuvat, quibus abundas, per Tabellarios publicos mittere ad me poteris, accipiam gratus, colam sedulo, atque in crescentibus Amici liberalitatem contemplabor. Nec deero officio, quin simulac nova ex Africa de navibus accepero, digna Tibi . Vale. Lugd. Batav. 17 $\frac{6}{12}$ 20

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae . H. Boerhaave.

Sherardus, perlustratis Galliis, suo me alloquio beavit, atque aliquot hic septimanas egit mecum; quando unà saepe legimus Tua in re herbaria opera, cum applausu. Discessit iam in Patriam, ubi appulisse novero, Tuas ad illum recte curabo. Doleo, semina missa haud germinasse. Et miror; quum recentia fuerint. Operam itaque dabo, alia ut mittam, ut intellectis iam votis Tuis, faciam satis. En iam, quae pridie accepi recentissima ex Ceylon: seri debent in solo praegnanti, et quae dura sunt, prius in aqua maceravi aliquamdiu: ita, spero, prodibunt, et placebunt. Mitto hunc Catalogum defectuum horti nostri. ut suppleas rogo, si quid ex iis Vobis suppetit: Si autem habes, quae ipse legisti, et adolere velis simul, obstrictum reddes. Libros Clarissimi Morgagni ante paucos accepi dies, cum Galliis hac tempestate commercii parum: Languent ibi, si non pereunt omnia. atque pestiferi contagii metus caetera premit. Scribam tamen ad amicos, quos ibi colo, super hoc negotio. Vale. Lugd. Batav: 17 $\frac{7}{10}$ 21

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae . H. Boerhaave.

Officii exigit ratio, ut per has tester gratum animum pro tot missis plantarum seminibus; petamque simul faventem horto Batavo animum serves, atque porro dare velis ea, quae ex catalogo penuriam nostram explicante, Tibi antea misso deesse intellexisti. Umbelliferarum, sorborum, et fruticum, semina, hac aestate lecta, quae donabis ante octobrim accipiam per Tabellarios publicos, quaeso curato: ni enim eodem hic autumno recentia terrae commitam, nunquam ad frugem pervenient. Ego legam Tibi, quae potero, optima. Mitto autem hunc libellum in pignus amicitiae, et obsequii. Vale. me Tuo, ubi placebo, utere: et fave Nobili Britanno, ingenii et virtutis eximiis dotibus insigni, has qui tradet, cui nomen Innys. Lugd. Batav. 17 $\frac{11}{7}$ 22

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae . H: Boerhaave.

Gratus, memorque munerum, quae dedisti, mitto salutem Tibi, haecque simul semina rarissimarum stirpium sana certe, atque adeo quidem recentia, ut similis mihi, nunquam Fortuna hactenus contigerit. Amant solum fimi equini calore praegnans, atque frigus quam maxime et leve pertimescunt, caeterum laete satis germinant. Utinam arrideant Tibi tam eleganti talium

spectatori

Ven.lis Cadueg Lugtor, fidem facimus, et attes:
tamur [illegible] Sp. D. Joseph Traviam [illegible]:
nati esse talem qualem se fecit, et fide dignum
in [illegible]. [illegible] Maij 1745.

spectatori. Alia nactus ad Te curabo. Tu, quaeso, faveas mihi, nostroque, qui animo meo curae est, horto, fac ut ante autumni finem habeam semina plantarum, quas reperis ex his, quas nobis periisse vidisti ex catalogo iam pridem misso. Rem praestabis, sane adeo quidem gratam mihi, ut omni opportunitate testari conaturus sim animi memoris officia. Vale. Lugd. Batav. 17 7/7 23.

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae. H. Boerhaave.

Faustissima quaeque sub recentis anni auspiciis precor Tibi. Quasque egregius Sherardus commendavit ablegandas, ad Te mitto. Si quae sana, recentia semina sint, vel nova, vel mihi deficientia, ut catalogus meus de his missus ad Te docuit, velis quaeso eorum facere me participem: neque enim hactenus ab amicis recepi, quae defectus illos supplere queant. Vale. me Tuo utere. Lugd. Batav. 17 14/1 24

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae Botanico eximio. H. Boerhaave.

Gratus accepi laetusque, quae mihi per Illustrem Marsili, atque Tuis cum literis semina misisti; proque his maximas ago gratias, omnem quaesiturus opportunitatem rependendi: excussi ergo universam seminum bonorum apothecam; haec legi digna, quae mitterem ea spe, ut placerent, mirarerque, si haec nimis vulgaria elegantiae Tuae sorderent. Plantae reliquae, quas petis, non nisi in parvis speciminibus apud nos prostant, aut periere. Nec si haberem modum scio expediendi: ignarus, ullum Leyda Batavium plantarum radices mittere, quamvis novim omnes hic botanicos. Sane Illustrissimo Cornaro olim misi lectissima per viam expeditissimam nunc forte natam. At magno cum dolore postea intellexi interiisse pleraque diuturnitate morae. Quaeram vero modos omnes, et tentabo, quibus votis Tuis respondere queam. Vale. Lugd. Batav. 17 27/2 26.

Claro, Nobilique Viro Julio Pontederae. H. Boerhaave.

Una cum officiosa oblatione meae in Tua vota pronae voluntatis, hoc Tibi Vaillantii opus exhibeo, quod censeo eximium, eo utens, faverisque sis, quaeso memor mei arbusti. Vale. Leydae. 17 9/7 27.

Anno 1745: die 20: Maij Patavij.

Testantibus mihi Nobilibus Viris praesentibus Domino Joanne Baptista Morgagno Publico Professore Primario, et Domino Marchione Francisco Poleno Joannis Publici Professoris Filio Epistolarum omnium quae in hoc Folio descriptae sunt, Autographa, existentia apud Nobilem D. Julium Pontedera Publicum Professorem, Hortique Medici Praefectum scripta esse manu propria Nobilis et Summi Viri quondam Domini Hermanni Boerhaavij Publici Professoris Leydensis. ex ijsdem mihi exhibitis, Autographis ipsas hic aliena quidem, sed mihi fida manu describendas curavi, et descriptione cum Autographis collata, ne unum quidem verbulum in descriptione esse inveni, quod in Autographis non sit; Hoc itaque iure iurando assevero, ideoque meum subscrips. nomen, signumque meum


Notariale

74

Viro Claro Rei herbariae peritissimo
Petro Antonio Michelio Botanico Hetrusco
Boerhaave.

...as ago summas pro libris mihi raris quam gratissimis. Tibi [illegible]
...rvatum gratulor de publicationibus quae inde refers premiis [illegible]
Quid dicam de munificentia, liberalitate ad me datis? Jam [illegible]
[illegible] singularium autorum [illegible]

73



Notariale apposui ego Joseph Maria Minatus Filius quondam Antonij Veneta Auctoritate Publicus Patauij Notarius; ac Almae Vniversitatis Dominorum Artistarum huiusce celeberrimae Patauinae Academiae Cancellarius.

Nos Hieronymus Guerini pro Serenissimo Duce Domino Venetiarum Padue Rector, Fidem facimus, et attestamur suprascriptum Dominum Joseph Mariam Minati esse talem qualem se facit, et fide dignum in quorum

Ex Cancellaria Maiori Civitatis Paduae die 20. Maij 1745.

Alexander Tagliaferri Cancellarius Maior

Ven.^lis^ Paduae, Rectores, fidem facimus, et att
tamen utroque iuris Dn̄i Dn̄i Joseph traviam In
nati esse talem qualem se fecit, et fide dignu
in quor. ... die 20. Maij 1745.

Viro Claro Rei herbariae peritissimo

Petro Antonio Michelio Botanico Hetrusco

Boerhaave.

[...]tias ago summas pro literis mihi caris, quam gratissimis. Tibi [...]
[...]paratum gratulor de gratissimis, quae inde refers premiis [...]
. Quid dicam de muneribus, liberalitate ad me datis? Jam [...]
[...]dum felix contemplor sana semina singularium arborum, et
[...]iam. Summa haec cum cura mandabo terrae, ut certa inde
[...]umentat meo in horto, his deliciis unice caris, ostendent omnibus
[...] Tibi debeam. Operam dabo, ut publice rependam mon[...]
et monumentum praeclarae tuae industriae. Porro promissas arbores destina[...]
[...]ella et mare, mittenda. Rem facies, quam rependere studebo. Tu
[...]curabis, ut ante Martium ad me perveniant, ut immunia vino
[...]ctis, ut non vino corrupta et madida humiditate. Deplorabam hanc
[...]m in iis quae adeo cara, cum fere in cistella mittebas: quae omnia,
[...]dolor, infelix perdidi totas exuvias, tristisque contemplabar.
[...]oa, illas, jamdiu, heu! insectis quaesita a vermibus excepta arrosa
[...]tam nobilis Britannus mutavit sententiam. Haec causa fuit,
[...] nondum aureos quinque destinatos acceperis. Jam curavi, ut Tibi
[...]solvant ad hoc cambium. Ubi alia semina accepero promissa,
[...]tam, et illa remunerabo. Sed majora Tibi praestabo, quando
[...]ipse generosissimus ex commendatione mea Tibi, me [...]
[...]: quod et potius quam novus Tibi efficere conabor. Vale
[...]mina cum nimis magna et jactam. Leidae 17 [...] 1737.

[...]ro Rei herbariae Scientia Clarissimo

Petro Antº Michelio

Boerhaave.

[...]aegis liberas, et semina, quibus me honoravisti, gratias ago [...]
[...]am maximas, sed dolui omnes ilicum glandes, quas in cistella mi[...]
[...]ras excepta specie tantum periisse, quia ab insectis erant exe[...]
[...]bato id animo legebam: quoniam jam frequentat haec orto meo
[...]enta id diu desideraverat, tuaque in me amicitia commendat
[...]ers cavas exuvias, corpore cassas accepi. Idem tamen tibi debeo [...]
[...]lud ut sentias. Brevi tua Nobilis Britannus Nebulam cogitat, qui [...]
[...]bit, et a me Tibi numerabit quinque aureos ducatos pro labore impenso.
[...] turbatis forte rerum apud nos fiet, tum potero longe magna praestare
[...] Tibi quod et libens tum exequar ei quam promisio, meliora aliquot [...]
[...] Tibi, quod construxerim horti mihi quibus quod ingens est

In eo autem ordine plantavi arbores, frutices, suffrutices quascunque, quae
solumque nostrum ferre queunt. Quo certatim contulere principes Botanici
ex Germania, Pannonia, Gallia, Hispania, Lusitania, Italia stirpes. Ac-
cunt, laete Americanae in dies aperto [illegible] imo nec quod longin-
quis mittis ea ipsa Bengala. Licet enim professione meae addictum
publicam tamen culturam horti diligentissime in privatis habeo [illegible]
sumptibusque habeo. Et nec dicam unquam in orbe Terrarum tot diver-
sarum arborum species posse spectari simul collectas quam in meo proprio
horto. Hinc oro Te, lego mihi varia de bonis arboribus [illegible]
[illegible] semina bene matura, atque mihi mitti, ut accipiam
ante decembrem. Ingrato non feceris, spero etiam futurus utilis.
Vale. Leidae 17 20/10 36.

Viro eruditissimo, Botanico eximio
Petro Antonio Michelio
Boerhaave

Dedi libenter ad Te atque nobili Viro Caesari Saudi exhibui quinque
aureos, ut illos meo nomine Tibi dandos curaret. Spero Tibi acceptos.
Asperrima hiems mihi abstulit Sabinam C.B. pinum Sativam [illegible]
cui ossicula fragili putamine Sive Cembro J.B. Pinum foliis tenuissimis [illegible]
nis brevioribus lenibus Mich. Pinum maximam, albicantem C.B. quas omnes
videbam Tuo munere de seminibus natas. Si semina bona reddes [illegible]
iterum conabor, inde arbores educere in ornamentum horti [illegible]
De omnibus glandibus quercuum, Ilicum, Suberum, quas mihi [illegible]
es, ne una quidem germinavit, quod miror, quum variis locis, [illegible]
sisque seminaverim, quin et temporibus diversis. Dolui [illegible]
in primis ardentem desideris, ut arborum principes, [illegible]
semina, quae mihi tam pulchra videbantur, vel unum [illegible]
[illegible]
torem, quamvis eadem cum summa cura [illegible]. Si ergo [illegible]
harum semina suppeditas, gratissima haec mihi. Porro semina [illegible]
as Te accessit, minus laciniato ac Opulus [illegible]
has etiam Anagyridis. Acedarach. Ricini Capparidis Rosae [illegible]
Cupressi Lusitanicae, patulae. Juniperi J. Juniperi. Punicae [illegible]
[illegible] Tragacanthae quas precabor tam suppeditare vellis [illegible]
Catalogo Tibi olim dato, etiam gratissima accipiam. Botanicam
nuper professionem, et Chemicam publice nuper ex sponte depo-
suique ea occasione orationem habeam publicam Tibi gratias
egi publice, atque honorificam feci mentionem Tui, cum Tibi

Demum plura ... mittam. Nunc rogo Te, ut ex horto autumn-
-ium et umbelliferarum semina mihi legere, et mittere pro horto meo pe-
-genere undique curas ut sit instructissimus. Vale. Lugd. Batav. 13 1/10 29.

Clarissimo Botanico
Petro Antonio Micheli
Boerhaave S.

Accepi semina pinorum, et Rhois gratissima sane mihi: pro his itaque
Tibi gratias iam ago, postea solvam ut decet. Oro te velis au-
tumno futuro semina mihi omnia mittere quae rogavi, quando illa
ut iam fecisti charta ad me expedire poteris. Ego Tibi postea refun-
dam omnes sumptus, quos pro me expendisti sed et praeterea gratus remu-
nerabo. Petiveras a me rariorum seculia, et bona semina ex hoc. Sti-
pulabunt placeant. Vale et me toto tuo utere ad ea quae curata desideras
Lugd. Batav. 17 16/5 28.

Claro, Nobilique Viro D. Petro Antonio Micheli
Boerhaave S.

Erat ex Majo quo dedi literas ad Te cum quatuor aureis du-
catis ut dicebam gratias pro acceptis autumno insignis seminibus;
Tibi dabas opera a D. Vandeer At Clarissimo Antiquario, Serenissimae
... degenti. Addidi brevem schedulam desideratorum quam
Tuae benevolae commendo quanto possum maxime ...
Insularum beatissima Ceylon hac bona et recentia accepi semina,
quotquot accepi tot tibi species participo, hac spe sola, ut pla-
ntis autem calidae ex fine aequinoctii ... in spem fingis comittere
Iterum Tibi iterumque spem meam commendo astructi quod a Te
... sua expectat ornamenta, quidquid hac in re praestiteris cona-
bor postea gratus agnoscere et digno praemio solvere. Ex autumno,
... in tenero ... pinorum semina
accepisse, ...
plantas quanto mea gaudio! Cura, oro Te, ut desiderata semi-
Te accipiam et ... annotinas ante Novembris me-
nsem. Vale me Tibi in officia prono utere, et prompto. Lugd. Batav.
25.

Claro et Nobili Viro Petro Antonio Micheli
Boerhaave

Semina quibus me donavisti, sata incipiunt germinare, non om-
nia quidem, tamen plurima, disco hinc quam sint bona. hac oppor-
tunitate hos quatuor aureos Tibi mitto ut exiguo teste honoraris
quam illa mihi grata sint. Rogo Te quam obnixe possum, collige
in tuo horto semina matura bona plantarum quarum primo ca-
talogum Tibi mittebam, et ea semper, quae collegisti quantocijus po-

poteris ad me capedi liberis per Tabellarium publicum si minora erant.
Et si fructus arborum, glandes, et alia maiora, tum data occasione
per nobilem Caesarem Sardi aliquam navi Liburno Bataviam pe-
tenti, ut possem glandes, nuces et similia semina, vivacia per-
veniant ad me, neque ab insectis laesa, neque a situ corrupta.
Et eadem arca parva undique immissa in capsulis ligneis accom-
modatis cum navi quadam misisti. Arbustum meum ornari in-
cipit locupletari desiderat: nec in alio spero de maiore spem
ponit, a nullo plura expectat. Vale, et si quid factum tibi am-
velis libere imperato. Lugd. Batav. 17 1/8 58.

Botanico Eximio
Petro Antonio Micheli
Boerhaave.

Indiae tulit haec mihi. Tibi quae misso, nec unus quidem exacte,
semina integra illa sunt atque recentia ... ergo commissa
volo certo germinatura repollicentur. Si quae alia ex his locis
videro semper ut parem curabo, sic enim postulat benevolentia
tua qua me prosequeris in ornando arbusto meo, quod pignus
quum tuo quoque curo. Bis adde misi IV Ducatos aureos per cambi
manum: Si acceperis fac sciam libens plures dabo si semina mihi ad-
num parare pergis dispendia, ut vero scias quae deficiant duplicem
tibi Indicem misso, unus pro arbusto meo, pro horto Academiae alter
supplementa petit. Age tibi cordi sint, non habebis immemorem
neque ingratum. Si respondens mihi, malis lingua Hetrusca uti
poteris, quia satis, ut intelligam quae a te eant callet. Ch. advolat
Sevardus mihi esse tibi artis ... ... Hieronymum,
Si velit hic legere arborum bonos fructus horumque dein semina
dare libentissime tibi meritis respondebo. Itaque ago jam conatus
meos potes enim, et in Italia fere solus potes. Vale, et per Tabellarium
publicum effice, ut sciam qui valeas.

Clarissime, Nobilissimeque Vir

Joannes Targionius

Lugeo mortem Summi Viri Petri Antonii Michelii, quem deflent mecum
qui rem naturalium Scientiarum colunt, qui virtutem, et Sapientiam
amant. Amavi, et honoravi, dum vixit, amabo, et honorabo dum
vivam: haec amico, haec manibus debeo. Nemo acerbius mortem hanc mi-
hi iniquam, meliorem merito doluit quam ego, nemo studuit arden-
tius promovere ejus vota, quae unice tendebant eo, ut publico prodessent
quae privatus invenerat, quos ille labores molestissimos, generosos pertulit, et quae
[illegible] cum quibus luctatus obstaculis, sola spes aetas, ut prodesset omnibus
[illegible] plebis [illegible] laudibus alit. Virtutibus plebium, virtutibus gloriam
retulit immortalem. Sit illi aeterna Salus. Nobis dolentibus maneat
tanti nominis memoria! Maneat studium promovendi
[illegible] honestas proposita! Moesto super his solatium adfers, qui
paras tanto Viro Successorem. Tibi gratias summas pro amicitiae
et benevolentiae officiis, quibus me non provocatus Tibi obstrin-
xis. Utinam opportunitas sit testificandi quam sit mihi gratus
animus. Sit tibi honorificum, et amoenum, sit publico utile, munus
quod Serenissimus Princeps sapientissime contulit in Te praeclarissi-
mum. Semina accepi ex [illegible] Stirpium ab Michelio da-
ta ad me xx decembris 1736. cum promissis, quod plura alia [illegible]
[illegible] alia Libium [illegible] mare. Quae simul, ac
accepi, statim respondi, et illi transmisi simul cambium ut
[illegible] solvendum a me vera aureis monetae Batavae. Litterae
[illegible] certissime jam erunt haeredibus redditae, et argentum id
solutum: quin de re si necesse putas certum me facies. Soli-
tus eram semper Amico, quoties me donaverat muneribus suis ali-
quid offerre quia volebam, ut [illegible] dimensa pro me
impenderet. Rem herbariam aliquot annis in Academia nostra do-
cui, quo colui arbores, et frutices, quas Clima nostrum alere potest.
Haud facile credibis quam varie ibi crescant, ordine digestae in spa-
tiosis locis, quas undique legi [illegible], privatis meis expensis. Hoc in-
stitutum, ut amplificem quotidie ad insaniam usque operam do.

At si adjuvare velis benefactis reddes devinctissimum. Curabis vero, ut semina matura, sana, arborum fruticumque Etruscicorum benignitas sationis apud nos tempore accipiam, curaveris sed bene defensa ab insectis. Indiculum dedi, haud ita diu est, in quo rogavi quae maxime desiderem. In eo erant quaedam notata quae ultimo mihi dedit, quaedam quae in Indiculo tuo danda promittis, quod scias, ut praestes per hemerodromos obsecro. Praecipua, quae jam quaero, haec sunt. Scio parum humani esse, et ingenui, onerare nihil debentes; sed tuae comitati imputes, qui avarum liberalitate allicis. Si quid tuis desideriis offerre potero id ut potius, quam verbis efficere Tibi annitar. Cura, oro, Michelianae edantur, quibus tot mei Amici me impulsere verum aes obtulere: neque enim desinunt quotidie mihi aures vellere super his satis molestae, nec habeo quod expectantibus imo et expostulantibus respondeam.

Vale Vir eximie, Tibi publicisque commodis felix. Leydae 17 13/c 37.

Clarissimo, Nobilissimoque Viro
Joanni Antonio Targionio
Boerhaave

Accepi venustae humanitatis plenissimas literas atque una ultima Arci dona Micheli, cujus semper erit aeterna memoria. Ocius commisi terrae. Sic nam surgent monumenta veteris amicitiae in arbusto meo, ubi tam amabilia pignora negent carissimorum Amicorum qui singulas tulerunt ei instruendo. Quoties laxandi animi gratia ibidem spatiatus dabor feceris fabricato contemplari juvat liberalitatem tot Virorum qui benigno favore meas hasce delicias foverint. In hunc hominem Tibi obstrictum jam habes, velis ulterius innare in eo, in quo unice oblectatur, scilicet arbores conservare colligereque Indiculis docet, quibus cares Italicis. Obscurum surculos mittas ut felicissime pretensuros crediderit. Vale et me Tuo utere

Leydae 17 19/4 37.

Botanico eximio Viro Clariss.

Antonio Petro Micheli

Boerhaave

Suspectissime accepi semina, quibus me honorasti, missa a D° Sardi gra=
tias pro his, utinam daturus steriles! Si poteris jam sibi cultatis cujuslibet
arborum semina legere, et mittere, probabis non ingrato summum
beneficium. Amicis meis, qui rogaverint hic summopere ingens
urgent me quotidie, ne antequam ad libros exhibeam quidquid
respondeam, recte est. Curas, quaeso, ut accipiam debita istis
exempla distribuere queat. Sumtus, quos forte effundes, pro capi=
endis ad me, promptius compensabo. Vale. Lugd. Bat. 17..

Eruditissimo Clarissimoque Viro D° Petro Antonio Micheli
Botanico Insigni Boerhaave S.P.

Postulatus quib. me honorasti literas gaudebam incolumem
te artium pulcherrimam Botanicen ita excolere, ut expressit,
labor suus pristinus Italiae nitorem, Orbi liberati, nobiles doctri=
nam reddituros, quanti autem fecerim eamque argumentis
didicisse te iam puto ex meis, quas sponte ad te dedi: Esset
quippe amica studiorum commercia humani ambitiose calcem
ex se quaerenti, gratus igitur conditionem quam suavissimam meo
accipio semperque fovendae amicitiae integrae adstringo quo vale=
bo, annitar. Et ecce certe curas, quantum ipse fiduciae
in te ponam, nec iam rogare enixe audeo, ut liberaliter
mittere digneris, mihi semina arborum, fruticum, herbarum, quae=
cumque legere poteris omnia. Nihil mittes, quod maxime
gratum non erit; vel hac gratia, ut cognoscam an vobis sint
nobisque eaedem plantae, quas utrique sint iisdem communis
nominibus. Quando vero Arborum Italicarum, et umbelliferarum
stirpium, semina sata apud nos, non evadant frugifera,
nisi condantur humo eadem, qua capta sunt, Autumno;
Offero quam recentissima semper ad me eadem cures: et quo=
niam bulbosas plantas, easque, quae bulbosa tuberosa crescunt
radice, inprimis quaero, harum mihi gratissima erunt a
tua profecta manu munera. Impossibilitatem specta!

Vix accepi lecta dona pro quibus gratias ago maximas, quia nova
peteris haud erubescam. Sed egregie Vir, cum faciam ita, nisi fallor
quod hic sustines munus culpam verteret in officium. Tuae interim, quae mi-
hi mandabis, recte curare sedulo conabor libero modo ingenio. Rogandum
est, ut digneris mihi mittere quae paravit forte habebis metu impensa-
rum in solutione vectigalis casurae eroganda: quumdamnum nec
cerem sumptus: quales nactus occasiones semper cautas ad me expe-
dire velis, etc. Amicus meus singularis Sherard Botanicorum facile
princeps, et prisca insignis doctrina retulit praesens, moliri te pulch-
opus. In vero faceciam, quod nam Tibi in hoc propositum, quales
futurae descriptiones, quae magnitudo sensu, quae Tabulae, quando pro-
diturum? Viginti nitidissimis tabulis pingendis offero sumptus, rogans ve-
scribi cures nomina quae in charta hac annotavi. Ego operam
dabo legendis atque expediendis ad Te, exemplis plantarum quas desi-
deras ex Indice meo, quae reperire potero vel in villis, vel ex meis
Thesauris. Si autem alia sunt, quae Tibi hic loci effecta cupis,
etiam majoris momenti, beneficio reputabo, et honori, si occasionem
dederis mihi re ipsa testandi, quam gratum habeam tuis obsecun-
dare votis. Vale. Lugd. Bat. 27$\frac{8}{c}$ etc.

Claro Botanico D. Petro Antonio Micheli

Boerhaave

Illustris Sherard narravit mihi quam egregius sis in arte herbaria:
quae res facta est, ut multum Te venerer. Patiaris igitur, ut offe-
ram Tibi hunc librum quem muneris mei ratio mihi expres-
sit, ceterum multis haud carentem vitiis. Si semina quaedam
habes Italica si impertiveris, habebis quae Tuis me votis
obsequentem. Vale! Lugd. Bat. 17$\frac{12}{11}$ etc.

Nobili Clarissimoque Domino Tilli

Boerhaave

Gratias ago pro missis elapso anno seminibus, et pro aqua stillatitia
antiscorbutica. multo semina quae accepi recentissima et amoena
hic placitura spero, et bene crescere cuncta probaturum suas stirpes
Vale Lugd. 17$\frac{12}{11}$ etc.

Clariss:mo Viro
D.o Michaeli Angelo Tilli Boerhaave

Exosculabar tuas literas, quas Hortulanus Tuus mihi tradidit a Te: quia
sponte afferunt amicitiam quam ambitiose quaesitam tamen magni mer-
cabar, fuissem ideo gratus conditionem accipio, ut quae colam sedulo dabo
operam. Dono Tibi libellum, quem officiositatis [illegible] impulit. Methodus
vegetabilem exponit Tibi, quorum desiderio caperis, faciam. Semina
idoneo expediam tempore. Curavi ut amicus meus Vir Nobilis de la
Court, mitteret Serenissimi Ducis Hetruscorum ananas fructus maturos
plantam fungiferam, et plantas juniores. Ipse autem Tibi per hortulanum
mitto has stirpes rarissimas, ea quidem spe, ut confidam haud displici-
turas esse. Tu quaeso mihi mittas ante Octobris finem omnia semina
quae comparare poteris. Lithotomum nostrum Michelis: eundem
omnia aeque grata maxime si habes quae non adsunt in meo Indice.
Pro seminibus missis ago gratias, et pro [illegible] magni Andreae Caesalpi-
ni, cujus manus, ut nemo facile Viri sapientiam maxima. Vale
Lugd. Batav. 17 19/9 20.

Nobilissime, Clarissimeque Viro
Joannis Andr.o Targionio
Boerhaave

Literas tuas, quibus me honorasti, omnes benevolentiae accepi, tanquam
argumenta desideratissimae amicitiae quam omni modo ambio lecti-
ssima, lectissima judicia, et pignora. Ea ut memoria animo nunquam
excellenda inservans ipsa me jubet virtus, ut vicem reddere cogitem
justitia postulat: operam dedi ut conchilia legant, nec dubito quin intra
haud ita longum tempus gratissimam opportunitatem Tibi mittendi. Tu
deinde iisdem poteris uti pro arbitrio liberrimo, sive retinere velis sive
[illegible] vivo Amico tuo donare.

Hodie tandem VIII. Septembris accepi Cistam cum plantis, et volu-
men cum tela cerea. Oleae vivaces apparent, tabella olearum,
reliquae videntur signa vitae habere, sed schedulae affixae deciderant
omnes putrefactis vinculis caeteras plantas omnes videntur mor-
tuae perierunt tamen et aliquot [illegible] commisitam radices in aquam
ut vivant, si modo integri quid superest. Oleas plantavi. Si com-
prehendent erunt monimenta Tuae amicitiae, et benevolentiae [illegible]
[illegible] saepius expertus sum, stirpes sanas transferri non posse.
Et si semina autumno, vel [illegible] bene integra accipis, sem-
per gaudes arboribus inde oriundis. Si enim perfecte matura lecta

lecta sunt, tempore sicco pomeridiano, de arbore sana; de ar-
bore sana, de ramis arboris bene sanis, et qui austro expositis,
tum nec in locum umbroso ventis perflato moderate siccata ab
insectis defensa. Si talia accepio in tempore idoneo ut in iti-
nere non congelescant, adeoque mense Novembri certus sum
bonis proventus: ea tamen lege ut si seminata sunt stirpium
quae mares, et foeminae quae alterius maris adeo vicinae fue-
rit, ut ab eo impregnari potuerit. Nisi enim id rite observatur
raro de Cedris, Juniperis, populis, salicibus et seminare habentur
plantae, quum nec semina sic lecta, neque pondere neque
mole ostendunt facile in charta, vel exigua cistella possunt expedi-
[illegible] et parvi canniti integri autumnali tempore a stirpe ar-
bore vegeta in ligno biennali, sectione obliqua parte infima
pice tepida immersa; sic enim maceratis lucendo mense octobri vel No-
vembri depacti in terram humidam solent pullulare, et comprehendere.
Habeo tot arbores in arbustis meis ut libro opus foret ad eas omnes
describendas: quare tantum opus erit schedulam inspicere quam misi
quoniam eas descripsit praecipuas, quas Italia habet, et quibus prae-
[illegible] defuncto Serenissimo Principe Hetruriae successerit Princeps Lo-
tharingiae, opus generosissimum licet, quod non alius nisi magnifi-
centia tua commode liberaliter procuraturum esse. Arbitror eiusque
Illustris Baro de Bassand, vir inter mortales optimus, in quo si-
ncerus, et bonorum amor, proprium sibi domicilium fixerunt. Is me constanti ami-
citia tuetur, atque in flagrantissima Principis gratia, neque ulla re magis
ipse allectatur, quam dum Scientiis promovendis. Hunc a me salutes ad-
versantem, et vel has literas ostendas, si velis ~~[illegible]~~ certus eum ha-
bebis studiis tuis Patronum beneficentissimum.

Si hic locis aliquid efficere poteris quatenus tibi quid vel liberis prae-
stabo fac sciam, quid curaturum velis. Vale. Leydae 17 16/9 37.

Claro, Nobilique Viro
Jo: Targionis
Boerhaave

Accepi literas, quibus me honorasti, et cistellam cum seminibus arborum,
et fruticum satis integris, et sanis. Pro his gratias ago maximas
operam dabo ut nostris non modo eas prosperitatem simulac eas obtinue-

Significavi Nobilitati Bassando, quae, et quam bona mihi procurat necessarii, rogavi ut negotia Tua promoveret: rursum faciet: promittit. Tu vero fac ut sciam si qui boni in rem Tuam actu sit.
Omnem navavi operam Amstelaedamensis qui Testacea vendunt ut mihi colligerent conchilia in nostris lecta ~~litoribus~~ litoribus; Ri-serunt, quia nemo eorum ea digna habuit quae legeret, neque ullis mortalium unquam ab iis ea peterent. Sed speciosissima aliarum regionum habere omnia intent quae iactant quaedam nec centum quidem aureis venalia. Nolui, sed Piscatores rogabo, velint pro mer-cede omnia mihi conservare, quae reperiant: ut videam quae praestabilia sint. Si quid comparavero ad Te curabo neque negligam.
Si Fatale cum Ivacibus bellum non obstaret, vota Tibi fortuna-tius examinis sententiae procederent. In eo sunt Britanni, Galli, et nostri, ut omnimodo tentent sibi componere. Ubi successit res omnis in vado florebunt enim rerum naturalium cul-tus et Studia sub Principe, cui a natura cultura, et affectu dotes insitae quae Musagetem proficiunt. Coram stupefactus admirabar, quando Serenissimus Heros domi meae ultra horam impendit spectandis et sapientissime spectandis rebus naturalibus. Utinam viam pandat Industriae Tuae ad pulcherrimos conatus absolvendos! Vale et Amicum certum habe Leydae 27 oct./8. 1701.

Clarissimo Viro Domino Micheli Angelo Tillio

Boerhaave S.

Grates ago pro missis elapso anno seminibus, et pro aqua destillata au-rantiorum. Mitto semina quae accepi recentissima ex America placitura spero, et bene culta pullulabunt varias Stirpes. Vale Lugd. Bat. 17 12/11 21.